




1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

4418.

DE SEVIRUM AUGUSTALIUM MUNERIBUS ET CONDICIONE PVBLICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

Lorenz
LAURENTIUS SCHNEIDER
BRETZENHEMIENSIS.

GISSAE.
MDCCCLXXXXI.

G. Otto's Hof-Buchdruckerei in Darmstadt.

JOANNI SCHMIDTIO SACRUM.

ARGUMENTUM.

Cum ad cognoscendos mores, instituta, vitam privatam Graecorum Romanorumque tituli omnino summi momenti et fuerint et sint, tum id maxime valet de Augustalitate, quo de instituto in municipiis coloniisque varie exculto usque ad hunc diem magnopere fluctuantur hominum doctissimorum sententiae. Namque de eius natura atque origine, quotienscunque eae res retractabantur, fere nova in medium prolata sunt. Copiosius autem ac titulorum copia fere tota adhibita postremo „de seviris Augustalibus" scripsit Joh. Schmidtius,[1] qui quae docuit de necessitudine inter seviros et Augustales intercedente — quae quidem res tum maxime in incerto erat — in universum certe ab omnibus, quod quidem videam, probata sunt. Nam quod Jungius[2] seviros praefectos Augustalium fuisse dicit, ut ante eum Zumptius iudicaverat, potius neglegentiae cuidam eius tribuam quam eum Schmidtii sententiam impugnare voluisse existimem.[2] Cultui autem domus divinae Augustales destinatos fuisse usque ad novissima tempora nemo non credebat et ut dissertissimum eius rei testimonium afferri solebat titulus X 1877: „*Q. Insteio Diadumeno Augustali. coluit annis XXXXV vixit....*"[3] Cuius tituli verba „*coluit annis XXXXV*"

---

[1] Halis Saxonum 1878. cf. O. Hirschfeld *Zeitschrift für die östreich. Gymnasien* 1878 p. 289 sqq. et Schiller Bursians *Jahresberichte* 1879, 460 sqq.

[2] *Die romanischen Landschaften des römischen Reiches.* Innsbruck 1881. p. 16: „*erhielten die Freigelassenen ihre eigne Vertretung in der Körperschaft der Augustalen und ihren Obmännern,* den seviri Augustalium."

[3] Cfr. Henzen *Z. f. A.* 1848, p. 214. *Sch.* p. 4. *Marq. Staatsverw.* I 199 adn. 1.

postquam Mommsenus non ad cultum imperatorium spectare, sed Q. Insteium Diadumenum iis colonum significari probavit[1] hoc firmissimo illius opinionis fundamento labefactato Augustales omnino non domus divinae colendae causa institutos esse, sed id institutum nihil nisi civile esse affirmavit, quo libertinis e re publica gerenda exclusis locus quidam in municipiorum coloniarumque administratione tribueretur.[2] Iam quae re vera sevirum Augustalium munera propria fuerint quemque in municipiis locum obtinuerint, optime cognitum iri mihi videtur, si in Mommseni sententiam quam diligentissime inquiramus. Quare de ea potissimum mihi disserendum esse puto, id quod eo magis mihi operae pretium esse videtur, quod et sunt, qui eam probent[3] et qui eam improbent[4]. In summa re denuo in eam rem inquirenti mihi Schmidtii sententia redintegranda esse visa est. Leviora haud dubie sunt, quae de nostro nova adiecimus neque desunt loci, quibus quod praestitimus, ne peritioribus displiceat, magnopere timendum est. Tamen fiduciam quandam affert, quod summo philosophorum ordini Gissensi, qui eam rem rerum antiquarum studiosis perscrutandas commendaverat, quae protulimus referente et censente Joanne Schmidtio laude non indigna visa sunt.

Profectus inde, quod Augustales in municipiis Italiae et provinciarum complurium medius inter decuriones plebemque ordo fuere, Mommsenus eumque secutus Jungius eos ab Augusto institutos esse censent eo consilio, ut eiusmodi alter ordo evaderet. Socii autem eius ordinis fiebant seviri, quorum munus proprium erat, cum seviratu fungebantur, summam honorariam solvere atque ludos edere similiter ac seviri equitum Romanorum, ad quorum instar eos institutos esse putant. Ita libertinos ad sustinenda munera municipalia adhibitos esse nullis in re publica administranda iuribus eis concessis. Plebem vero Augustales eo superabant, quod iis decernere

---

[1] Hermes XV p. 408. *St.* III 455 adn. 6.

[2] *Arch. Zeit.* 1878 p. 74 sqq. *St.* III 452 sqq.

[3] e. g. Jungius l. l.

[4] e. g. Hirschfeld *Sitzungsber. der Berl. Acad.* 1888, XXXV p. 838 adn. 28, 29.

ac quid vellent, *legitime* proferre licebat, cum plebs id tantum postulationibus, quae in theatro fieri solebant, aliisque eiusmodi rationibus posset. Ita libertini secundum in municipiis ordinem efficiebant, qui quem locum ibi obtinuerit, maxime elucere dicit Mommsenus ex titulo Curibus Sabinorum reperto (IX 4970 a. p. Chr. 173): „Baebiae Pontiadi optimae feminae decreto ordinis Cur. Sabin. consesus decurionum et sevirum postulante plebe posuerunt“. Ea autem quae postremo loco dixi, a Mommseno paucis annis ante quam tertium volumen iuris publici Romanorum edidit alio loco[1] prolata meo iure cum iis, quae St. III 452 sqq. exposuit, coniungere mihi videor, cum de exemplo ille quidem, quod seviros imitatos esse censet, non autem de publica Augustalium condicione sententiam mutarit.

Neque vero primus Mommsenus seviros Augustales ad instar sevirum equitum Romanorum institutos esse coniecit, sed complures ante eum et postremo quidem Zumptius ordinem Augustalium cum ordine equestri itemque seviros utriusque ordinis inter se contulerunt, licet iidem seviros Augustales cultui imperatorio destinatos fuisse iudicarent. Quam ob rem priores gravem subiere Borghesii vituperationem, qui ullam inter eos ordines similitudinem intercedere negaret, cum equites Romani propter rem militarem, seviri Augustales propter sacra instituti, illi ex principibus civitatis, hi ex libertinis et opificibus electi essent. Quae vituperatio ut non in Mommsenum ita in Jungium cadit, qui aut Schmidtii Mommsenique opiniones inter se coniuncturus aut quicquam inter eas interesse non videns Augustales domus divinae colendae causa institutos esse statuit[2] idemque compluribus locis libri laudati[3] Augustales ordinem libertinorum („*Libertinenvertretuug*“) appellat eaque, quae Mommsenus Arch. Zeit. 1878 p. 73 sqq. docuit, se probare expresse indicat p. 544 adn. 3. Differunt tamen illae sententiae eo potissimum, quod Schmidtius Augustales munera sacerdotalia

[1] *Arch. Zeit.* 1878 p. 74 sqq.
[2] p. 23 adn. 2, 147, 209.
[3] Cfr. *maxime* p. 543 sqq.

curasse ordinemque illum alterum paullatim neque in omnibus regionibus ex annuo honore functis ortum esse iudicat, Mommsenus illud institutum civile consiliumque secundi ordinis efficiendi primitus fuisse statuit.

Ac primum quidem seviri Augustales a seviris equitum Romanorum eo differunt, quod illi, postquam annuo seviratus honore functi sunt, alterum illum ordinem efficiebant, hi ex ordine, qui erat, eligebantur, ut comparatio sevirum utriusque ordinis magis cadat in ea tempora, quibus illud institutum excultum erat, quam in priora, quibus nullus alter ordo in municipiis erat. Nam cum seviri equitum Romanorum re vera praefecti seu magistratus ordinis equestris essent eandemque necessitudinem inter seviros et Augustales intercedere priores ut Zumptius statuissent, id post Schmidtii de ea re expositionem nequaquam teneri potest. Romae enim seviri ex ordine facti sunt, in municipiis ordo e seviris evasit, quamobrem, quod ad rationem originis attinet, ordo Augustalium potius cum ordine decurionum, qui ipse quoque ex honore functis consistebat, quam cum ordine equestri conferri potest. Nam seviros prius fuisse quam ordinem cum iam Marquardtius satis praedicasset (Z. f. A. 1847 p. 506), Mommsenus ipse concessit neque obstant tituli, quippe in quibus a. p. Chr. 23 prima alterius ordinis mentio fiat (Sch. p. 34). Quamquam vero primo oculorum obtutu vix probabile videtur, cum seviri instituerentur, eius, quem postea obtenturi essent, loci rationem habitam esse, tamen huic discrimini non tantum momenti tribuam, dum re vera Augustus in animo habuerit alterum ordinem similem equitibus Romanis in municipiis instituere: nam etiam fieri potuit, ut ibi eos solos socios alterius ordinis fieri vellet, qui honore seviratus functi essent i. e. qui munera municipalia sustentassent, ut discrimen illud facile eo explicetur, quod Romae alter ordo erat, cum in municipiis tunc ipsum institueretur. Quod utut est, si seviros utriusque ordinis inter se comparamus, hoc statuendum est Augustum omnibus locis alterum ordinem instituere voluisse.[1] Quaeritur igitur, num veri simile sit

[1] *Marq. Z. f. A.* 1847 p. 505: *Die* seviri *setzen einen* ordo *voraus.* Henzen *Z. f. A.* 1848 p. 293.

Augustum alterum ordinem similem ordini equestri in municipiis instituere voluisse. Neque enim inde, quod postea alterum ordinem ibi invenimus, colligere licet consilium eius efficiendi primitus fuisse, cum is ea quoque, quam Schmidtius docuit, ratione oriri potuerit.

Ordo equester, ortus e re militari ac postea in censu positus, per centum quinquaginta fere annos pluribus minoribusve iuribus publicis ornatus erat; neque Augustus eum abolevit, sed munera quaedam atque honores publicos ei reservavit, quae senatorum ordini denegaverat, ne omnes honores emolumentaque publica in eorum manibus essent.[1] Repraesentabatur autem is ordo transvectione, pompa, ludis seviralibus. Huius ordinis, cuius Augusto ordinanti rem publicam ratio habenda erat, si rerum memoriam consideramus, vix veri simile est Augustum similem ordinem in municipiis instituere voluisse. An erat ibi genus hominum seu ordo honoribus emolumentisque publicis ad id tempus usus, cuius tum ratio habenda esset? Erant ibi honores seu munera quaedam publica, quae decurionibus detrahi utile videretur ut e. g. senatores Romani vectigalia publica locare vetiti erant? At seviri Augustales eo, quod ludis edendis munerum publicorum participes facti sunt, iis, quos imitati sunt, seviris similes sunt. Nimirum quia pluribus opus erat, qui munera publica subirent, alter ille ordo institutus est. Quod si statuimus, quae est similitudo utriusque ordinis? Nam quamquam ludi sevirales commemorantur, ordinis equestris proprium non fuisse molesta munera publica subire unus quisque facile concedet neque Augusti aetate munera municipalia tam onerosa fuisse puto, ut ad ea sustentanda opus esset novum ordinem instituere. Nam cum iurisconsultorum libri abundent edictis, quibus caveatur, ut decuriones, corpora, privati, denique quodvis genus hominum munera publica subire cogantur, Augusti aetate honores municipales ambitiose petebantur neque, cum de illa aetate agitur, de onerosis muneribus municipalibus loqui consuevimus.[2] Si

[1] Cfr. Madwig *Verfassung und Verwaltung des röm. Staates* I 155, 172, 173.

[2] Cfr. Jung p. 540 maximeque 541: *Es herrscht in jenen Zeiten*

vero Augustus genus quoddam hominum ad munera publica subeunda adhibere voluit, rei familiaris seu census, ut opinor, ratio habenda erat (cfr. λειτουργίας et ἀντίδοσιν apud Graecos) neque facile intelligitur, cur nonnullis in regionibus soli fere libertini socii alterius ordinis inveniantur; nam quod a Zumptio obiectum est muneribus publicis ingenuos omnes fere ita obrutos fuisse, ut praeter libertinos vix essent, qui Augustalitatem susciperent, a Marquardtio argumentis satis necessariis refutatum est.[1] Iam vero si illorum munerum causa Augustalitatem institutam esse statuimus, miramur, quid sibi velit certus ille numerus annuo honore seviratus fungentium. Nam cum summam honorariam non praeter ludos, sed pro ludis solvi solitam esse infra demonstraturus sim, sevirum munus primarium erat summam quandam in rem publicam inferre. Quod si ita est, illa summa solvenda quasi tributum quoddam erat, quod miramur a certo numero, non a re familiari municipum pependisse, praesertim cum plures primo quoque tempore id munus praestare possent. Quare utrum Mommseno de sevirum muneribus propriis assentiamur an ex illo numero senorum quotannis fungentium alia eorum munera primaria fuisse colligamus? Neque vero, cum hac argumentatione impugnem Mommseni sententiam, negem ambitionem municipalem municipiis coloniisque magno commodo fuisse, sed hoc probem veri simile non esse illorum, quae Mommsenus vult, munerum causa Augustalitatem institutam esse.

At libertinis e re publica gerenda exclusis Augustus in municipiis coloniisque locum tribuere voluit. Quod cum statuatur, nulla fere similitudo inter ordinem equestrem et Augustalium intercedit, certe si antiquissima eius instituti tempora respicimus. Nam si Augustus ordinem similem equitibus Romanis instituere voluit, exspectamus, ut etiam origine socii utriusque ordinis haud ita differant. Eius vero rei maximum inter urbem et municipia discrimen intercedit.

---

der municipalen Blüte der regste Wetteifer, auf der einen Seite sich möglichst um das Gemeindewesen verdient zu machen, auf der anderen Seite diesem nützliche Bürger zu ehren.

[1] *Z. f. A.* 1847 p. 502 adn. 5. *Staatsverw.* I 199 adn. 6.

Satis multos autem ingenuos praeter decuriones in municipiis fuisse, qui in illum ordinem recipi possent, nemo post Marquardtii de ea re expositionem (cfr. locos supra laudatos) non credet. Neque veri simile est Augustum libertinorum gratia illum ordinem instituisse. An putas eum libertinis plura iura publica seu emolumenta concessisse quam ingenuis, qui in plebe erant, praesertim cum eum libertinos a rė publica administranda magis retudisse videamus quam a Caesare factum erat?[1] Iam vero si recta est illa sententia, libertini soli aut fortasse etiam spurii filii ut inter socios illius ordinis enumerentur, exspectamus. Neque tamen tam rari sunt ingenui inter seviros et Augustales quam fortasse credes, si Mommsenum Jungiumque solos audiveris, neque omnes illos ingenuos exceptionis loco habendos esse Mommsenus ipse concessit.[2] Praeneste e. g. Augustales omnes fere ac Velleiae duo seviri Augustales, qui soli adhuc ibi reperti sunt, ingenui sunt (cfr. XI 1161. 1162). Sex autem illi seviri Augustales Genavenses tituli XII 2617, qui eodem anno seviratu functi sunt, incertum est, utrum omnes ingenui sint ut Hirschfeldius statuit (cfr. index XII s. v. Genava) an libertini, quia nullum in eo titulo indicium inest, quo ea res diudicetur. cfr. XII 2617: „Q. Stardius Macer. C. Albucius Philogenes. C. Albucius Philogenes C. Statius Anchialus C. Novellius Amphio P. Cornelius Amphio IIIIII viri." Neque minus posterioribus, sed ipsis antiquissimis eius instituti temporibus ingenui obvii sunt, ut nequaquam ad libertinorum condicionem publicam stabiliendam Augustalitatem institutam esse putem; Cfr. hos titulos:

V 378 (Tergeste) L. Valerio L. f. Pup. IIIIII vir coniug.
V 1764 (Tergeste) Q. Caedii Q. f. Pup. sexviri Tergeste.
V 2847 (Opitergii) L. Arrius T. f. sexvir Opitergi sibi et suis.

---

[1] Cfr. Hirschfeld l. l. p. 839 adn. 29: *Dass aber August den Freigelassenen in den Municipien eine den Rittern in Rom entsprechende Stellung habe anweisen wollen, scheint mir schon mit Rücksicht auf die ablehnende Haltung, die er im Gegensatz zu Cäsar den Freigelassenen gegenüber eingenommen hatte, nicht wahrscheinlich.*

[2] *St.* III 454 adn. 2.

V 4060 (Mantuae) C. Maccilius P. f. Sab. VI vir sibi.

V 5100 (Bergomi) C. Gemino Virae f. Vot. IIIIII vir veterano Coblutoni Sev. uxori.

V 5132 (Bergomi) v. f. L. Blandius C. f. Vot. VI vir et Augustalis et flaminalis.

V 7166 (inter Pedemontanos incertos) M. Baebius L. f. Cam. VI vir.

XI 1058 (Parmae. sexvir qui fuit veteranus et, ut videtur, ab Augusto ipso inter colonos deductus est, postea aedilis factus est) L. Vettidius C. f. veteranus leg. XII paternae sexvir aed.

XI 1161 (Velleiae) Numini Aug. sacr. Cn. Avollius Q. f. VI vir Aug. t. f. i.

Quos omnes titulos ab Augustea aetate haud procul abesse cognominis defectus dilucide arguit.

Ita autem illud institutum nullo modo excoli potuisse puto, si libertinorum gratia ortum erat.

Neque omnibus locis seviri honore functi alterum ordinem efficiebant, in Gallia e. g. ut alter ordo non apparent nisi corporati neque in Africa[1], Germania, Moesia, Illyrico, Pannonia, Italiae superiore parte (praeter Opitergium V 1968) eos alterum ordinem fecisse invenimus. Comparatio autem sevirum utriusque ordinis inde maxime pendet, quod Augustus inde ab initio secundum ordinem in municipiis instituere voluisse statuitur. Sed cum in iis tantum regionibus alter ordo inveniatur, in quibus Augustalitas maxime exculta esse videtur, vide, quam non veri simile sit eiusmodi Augusti consilium. Nam persuasum habeo, si Augustalitas erat institutum mere civile, ut Mommsenus statuit, eam legibus municipalibus[2] praescriptam esse omnibusque

---

[1] praeter Thevestem, ubi Augustales collegii locum obtinuisse videntur.

[2] Cfr. *Arch Zeit.* 1878 p. 74 . . . . . *so bleibt nur übrig sie als integrierenden Bestandteil der Municipalverwaltung zu betrachten;* p. 75: *Somit gehören also die Augustalen nicht dem Kaiserkulte an, der nicht den Freigelassenen überlassen sein konnte, und vielmehr von den den besten Klassen angehörigen municipalen* flamines *besorgt wurde, sondern bilden einen integrierenden Bestandteil der lateinischen Städteordnung, während sie in griechisch organisierten Städten nicht vorkommen.*

locis Italiae provinciarumque Romanarum aeque apparere opus esse certe in iis oppidis, quae iure Latino ornata erant.[1] Verum Augustales obvii sunt iis quoque locis, qui ius Latinum non habebant, vel iis, qui re publica sua carebant. Cularone enim et Genavae, quos vicos Viennenses usque ad Diocletiani aetatem in vicorum condicione remansisse et re publica caruisse tituli demonstrant, nihilo minus seviri Augustales deprehenduntur, quos ad illos vicos pertinuisse Hirschfeldio facile concedimus (cfr. XII p. 273, 219). Similiter Lousannae, in vico Helvetiorum, seviros Augustales fuisse testatur titulus J. H. 133: „Soli Genio Lunae sacrum. ex voto pro salute Augustorum. P. Clod. Corn. Primus curator vicanor. Lousonnensium II VI vir August. c. c. R. (= curator civium Romanorum) conventus Hel. d. s. d.“ Item Mogontiaci, cuius oppidi cives etiam a. 267 p. Chr. corporatorum tantum iura habebant[1], sevirum Augustalem deprehendimus, quem cur posteriori aetati tribuamus non est. Similiter mirum est seviros illos, quos Mommsenus publicae libertinorum condicionis causa institutos esse statuit, in oppidis inveniri, qualis est saltus Sumelocennensis[2]. Hisce in oppidis atque in castris legionum, qualia sunt Emerita, Lambaesis, Mogontiacum, in quibus rem municipalem aeque obscuratam ac fere obrutam invenimus imperii provinciaeque administratione[3], quid sibi vult ordo libertinorum („*Libertinenvertretung*“)? Seviros qui ibi deprehenduntur, nonne potius ad cultum imperatorium referemus, quem in nulla imperii parte neglegi oportebat, quam libertinorum condicionis publicae causa eos institutos esse statuemus?

Ac postremo Augustales ab Augusto institutos esse propterea vix credam, quod diversissime id institutum in municipiis excultum est. Institutum enim civile, cuius auctor esset Augustus, legibus municipalibus praescriptum

---

[1] Cfr. Jung p. 247.

[2] Cfr. Jung p. 253: „*Auch ein* sevir *kommt vor, was immerhin beachtenswert ist* maximeque adn. 2.

[3] Cfr. II p. 52.

et in universum aeque fere in omnibus municipiis excultum esse opinor; neve obicias alia quoque instituta municipalia legibus praescripta in singulis municipiis diversa fuisse; nam id dici potest fere de iis solis, quae cohaerebant cum institutis, quae antea in municipiis erant, hic vero habenus rem Augusti aetate ortam, quam Augusto in municipiis instituenti institutorum similium, quibuscum eam coniungeret, ratio habenda non esset. Si igitur Augustalitatem Augusti aetate institutam esse Mommseno assentimur, ut aeque fere in omnibus municipiis exculta sit, magnopere exspectamus. At ut non commemorem, quantopere Augustales diversarum regionum inter se differant, quaenam similitudo est inter eos et seviros equitum Romanorum iis locis, ubi annuo honore fungentes non seviri, sed Augustales[1] vocantur? Quare hoc institutum prius in municipiis ortum esse puto quam legibus municipalibus de eo caveretur; neque enim aliter illae, quas tetigi, diversitates facile explicari possunt[2]. Quam diversitatem Mommsenus ipse agnovit propter eamque Augustalitatem non communi quadam lege institutam, sed arbitrio municipum permissam esse putavit[3]. Neque vero probabile est id institutum, si re vera ea natura erat, qua Mommsenus fuisse statuit, arbitrio municipiorum permissum esse, sed potius credendum est id institutum, quo publica libertinorum condicio stabiliretur, a senatu sive principe praeceptum esse. Sed cum propter illas diversitates seviratum et Augustalitatem a municipibus instituta esse quin existimemus, facere non possimus, quidni ea ad cultum

---

[1] Augustales iterum similesque cur cum Schillero in Bursiani annalibus 1879 p. 462 in suspicionem vocemus, non est, quia haud ita paucis in titulis commemorantur cfr. IX 741. 1618. 1694(2). 1695. X 4760. 7456.

[2] Henzen *Z. f. A.* 1848 p. 293: *Für die Einsetzung durch blossen Eifer der Municipalen spricht auch der Umstand der Mannigfaltigkeit, der einer gemeinsamen Einsetzung wiederspricht.* Hirschfeld l. l. p. 839 adn. 29: *Dass die Augustalität aber überhaupt nicht der unmittelbare Abklatsch eines römischen Vorbildes sein sollte, zeigt meines Erachtens schon die Freiheit, die den einzelnen Gemeinden bei Einrichtung und Ausbildung derselben gelasseu wurde.*

[3] *St.* III 454.

imperatorium referamus, qua in re municipia Urbem praecurrisse neque ex decretis senatus pependisse inter omnes constat?[1]

Quoniam iis, quae hactenus exposui, ordinem equestrem cum ordine Augustalium comparavi, iam seviros utriusque ordinis inter se conferam, ut inde appareat, num quae similitudo inter eos intercedat. Quam rem priusquam aggrediar, iterum moneam de imitatione sevirum equitum Romanorum nequaquam cogitari posse, nisi is vel ii, qui seviros instituerunt, inde ab initio in animo habuisse statuantur alterum ordinem in municipiis efficere. Quod non modo non omnibus locis factum est, sed etiam sunt indicia quaedam, e quibus eiusmodi consilium primitus non fuisse eluceat. Nam illi seviri et Aug., Augustales perpetui, seviri perpetui non intellegitur cur se altero honore illo, quo socii ordinis fiebant, decurionum decreto ornatos esse expresse addant, si omnes seviri honoribus, quibus in seviratu gerendo utebantur, ultra muneris tempus propagatis „eo ipso“ socii alterius ordinis fiebant. Quapropter iis assentior, qui propterea quod aequum atque utile visum esset maxime iis, qui in seviratu gerendo munificentissimi erga rem publicam fuerant, honores cum seviratu coniunctos ultra muneris tempus prorogare, ex functis honore seviratus paullatim neque omnibus locis alterum illum ordinem factum esse statuerunt, cum antiquissimis eius instituti temporibus tale quicquam evasurum esse nemo fortasse suspicaretur. (cfr. praeter Sch. p. 23 et 32 Marquardtium Z. f. A. 1847 p. 505: *Zumal sich das Entstehen des ordo nicht voraussehen liess.* Schillerum in Bursiani annalibus 1879 p. 461). Sed omnes, quas iam cumulavi, difficultates Mommsenus non tanti aestimasse videtur, cum respiceret maxime similitudinem munerum utrorumque sevirum.

Atque sevirum equitum Romanorum fuisse in pompa et, ubicunque equites Romani publice prodirent velut in funeribus[2], turmas ducere vel ex nomine („*sevir turmis ducendis*“ V 531, cfr. St. III 524 adn. 1) satis manifestum est.

---

[1] Cfr. Hermes XVII p. 640; Hirschfeld l. l. p. 838; *St.* III 803.

[2] Cfr. *St.* III 522 adn. 3.

Praeterea ludi ab iis editi esse dicuntur, de quibus quid traditum sit, eo magis opus est quaerere, quia propter eos potissimum seviri utriusque ordinis inter se comparati sunt.[1] Atque illi ludi commemorantur in Capitol. vita Marc. c. 6: „(Pius Marcum) sevirum equitum Romanorum iam consulem designatum creavit et edenti cum collegis ludos sevirales adsedit.“ Praeterea a Dione 53,1 („*καὶ τὴν πανήγυριν τὴν ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ γενομένῃ ψηφισθεῖσαν ἤγαγε μετὰ τοῦ Ἀγρίππα καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν διά τε τῶν παίδων καὶ διὰ τῶν ἀνδρῶν τῶν εὐγενῶν ἐποίησε*“) ludos a seviris equitum Romanorum editos perstringi Mommsenus statuit, si recte eius verba „*doch mag . . . . die zweite Feier den Sevirn obgelegen haben*“ intellego, ut fere intellegenda sunt, cum de ludis ab aliquo editis sermo sit: eum ludos suo sumptu fecisse iisque praesedisse.[2] Hoc si verum est, habemus hic ludos, quos publice fieri oportebat, curae sevirum equitum Romanorum mandatos, cum aliquid simile de seviris Augustalibus statuatur. Sed Dionis verba quemadmodum interpretanda sint, maxime mihi apparere videtur ex his Suetonii locis div. Jul. c. 39: Circensibus... quadrigas bigasque et equos desultorios agitaverunt nobilissimi iuvenes“; Aug. c. 43: „In circo aurigas cursoresque et confectores ferarum et nonnunquam ex nobilissima iuventute produxit“; Caligula c. 18: „Edidit et circenses plurimos a mane ad vesperum.... et quosdam praecipuos, minio et chrysocolla constrato circo, nec ullis nisi ex senatorio ordine aurigantibus“. Splendidissimi igitur ludi a Dione commemorati propterea erant, quod nobilissimi viri iuvenesque in circum prodire equosque ipsi dirigere non

[1] Cfr. Zumptium p. 69: Atque in ludis edendis maxime munera sevirum equitum Romanorum videntur constitisse. *St.* III 457 . . . . *sowie die* sevirales ludi *sind von den römischen Rittern auf ihr municipales Nachbild übertragen.*

[2] Cfr. Mommsenum *R. g d. A.* [2] p. 57 adn. 3: „nec quicquam commune habent Troiae ludus ludique sevirales; nam illum pueri ipsi in circo ineunt, *hos suis sumptibus seviri faciunt* praesidentes iis pro magistratibus sacerdotibusve.

dedignabantur[1]. Quae cum ita sint, a Dione ludos a seviris equitum Romanorum editos nullo modo perstringi puto itaque restat unus locus (Capitol. vita Marc. c. 6), quo ludi sevirales tangantur. De quibus ita iudico. Mos erat apud Romanos, ut quicunque fere honore quodam publico fungeretur, propter honorem sibi delatum ludos ederet aut aliquid in usum publicum dedicaret.[2] Eiusmodi ludis aequiperandos esse puto ludos a Capitolino commemoratos; utrum vero inde ab initio an tempore procedente illi ludi a seviris edi soliti sint, diudicare non audeo, quandoquidem si ulla in re, talibus in dedicationibus ob honorem factis usus atque consuetudo multum valent. Atque defenditur, ut opinor, haec opinio eo, quod similes res ob honorem acceptum datae ut cenae similiter appellabantur, ut habemus IX 2629 (Aeserniae): ... [Pes] cennius Q. f. Gal.... [IV vi]r i. d. pro cena *IIII vi[rali* ge]nio aedem portic. cul[inam re]ficiund. curavit, eidem p[robavit.]

IX 5855 (Auximi) .... ludos fecit, gladiatores dedi[t], cenam *sexviralem* primus dedit, legavit colonis Auximatibus singulis et decurionibus singulis HS XX et... Neque primus neque solus de iis ludis ita iudico, sed iam multis ante annis Boissievius de iis haec protulit Inscriptions antiques de Lyon p. 177: „Il n'est pas inutile de rappeler ici, à propos de cette chevalerie municipale, que l'ordre des jeunes chevaliers à Rome était divisé en six turmae ou escadrons commandés par des sévirs, et que ces sévirs avaient coûtume d'inaugurer leur nomination par des ludi sevirales". Prorsus vero reicienda mihi videtur Friedlaenderi sententia[3], qui ludos sevirales a Capitolino commemoratos

[1] de civibus Romanis maximeque equitibus in ludis aetate imperatoria in medium prodeuntibus videas Friedlaenderum apud Marquardtium *Stvw.* III, 522 adn. 3 et *Sittengeschichte* II[6] p. 319 sqq

[2] Cfr. *Marq. Staatsverw.* I 164 adn. 7 ad acta S. Sebastianae, *Du Cange s. v. candida.* Gothofred ad C. Th. II p. 60a *de candida. Marq. Staatsverw.* III p. 486 adn. 2. Mommsen *St.* II[1] 122 et 503.

[3] Apud *Marq. Staatsverw.* III p. 527, *Sittengesch.* II[6] p. 321.

proprium quoddam ludorum genus veluti ludum Troiae, factum ab equitibus Romanis turmatim dispositis, fuisse eosque apud templum Martis Ultoris fieri consuevisse statuit profectus ab hoc Dionis loco 55,10: „*καὶ πανήγυρίν τινα πρὸς τοῖς ἀναβασμοῖς αὐτοῦ ὑπὸ τῶν ἀεὶ εἰλαρχούντων ποιεῖσθαι*". Nam cum Dionysii Halicarnassensis aetate quinque milia equitum Romanorum pompae interfuisse cognoverimus[1], vix veri simile est eum numerum velut in ludo Troiae duodeviginti pueros nobiles in circum prodiisse; deinde Friedlaenderum pompam cum ludis confudisse cum aliunde tum ex Dionis loco supra transcripto (53,1: *τὴν πανήγυριν ... καὶ ἐν αὐτῇ τὴν ἱπποδρομίαν*) satis apparet.

Neque tamen silentio praeteream aliam opinionem, quae mihi quondam occurrebat, legenti haec Suetonii verba div. Aug. c. 27: „Equites Romani natalem eius sponte atque consensu biduo semper celebrarunt". Ludis autem maxime cum Augusti diem natalem ab equitibus celebratum esse existimem, seviros, quippe qui praefecti seu magistratus ordinis equestris essent, iis ludis praefuisse probabile est. Quam ob rem hoc potius loco quam a Dione ludos sevirales perstringi persuasum habeo; quod num verum sit, quamquam non satis constat, tamen hic locus magis idoneus est, quo ludos sevirales subesse vel potius tangi suspicemur, quam is, quem Mommsenus attulit. Noli tamen propter hos ludos seviros equitum Romanorum cum seviris Augustalibus conferre; nam si re vera seviri equitum Romanorum ludis ad celebrandum diem natalem Augusti editis praesederunt, id ea de causa factum est, quod iis ut praefectis ordinis equestris omnia communia eius negotia administranda erant.

Primarium igitur munus sevirum equitum Romanorum erat turmas in pompa et quandocunque equites Romani publice prodibant ducere communiaque eius ordinis negotia gerere; huc, si naturam atque originem huius instituti respicimus, ludos quasi secundarium munus accedere videmus.

---

[1] Dionys VI 13: *πομπὴ τῶν ἐχόντων τὸν δημόσιον ἵππον, οἳ .... ἄνδρες ἔστιν ὅτε καὶ πεντακισχίλιοι.*

Illius autem primarii muneris sevirum equitum Romanorum nihil simile de seviris Augustalibus proferri potest.[1] Atque etiam si quis de ludis a seviris equitum Romanorum editis aliter iudicat atque ego Boissievium maxime secutus, tamen propter eos solos similitudinem inter utrosque seviros statuere temerarium mihi videtur, quia ludi tot magistratuum sacerdotumque Romanorum communes sunt, ut inde nihil eiusmodi efficere liceat.[2]

Quoniam de sevirum equitum Romanorum muneribus satis multa, ut mihi quidem videtur, disserui, iam videamus, quid de sevirum Augustalium muneribus traditum sit vel ex titulis locisque illis Petronianis, quibus seviri commemorantur (c. 30, 65, 71), colligere liceat. Atque in recensendis eorum muneribus Kuhnium potissimum sequimur[3], qui (p. 52 et 56) distingui iubet inter munera, quae quis ob honorem acceptum praestare lege iussus erat, et ea, quae his muneribus lege praeceptis ultro addi solebant.[4] Priori illi generi adnumerandi sunt ludi ob honorem acceptum editi, summa honoraria, alteri magnus numerus dedicationum operum publicorum ultro factarum, nisi quod saepe non additis verbis „*ob honorem*“ in medio relinquitur, utrum quis ultro an lege iussus aliquid in utilitatem publicam dedicaverit.[5] Verum haec „*munera honoribus cohaerentia*“, ut Callistratus dicit (l. 2 § 1 D. de vac. et exc.), magnopere secernenda sunt ab iis, quibus ipse honor continetur quaeque pendent a natura magistratus sacerdotiive, quo quis fungitur. Haec, quae postremo tetigi, munera primaria ac quasi primigenia sunt et sola respicienda in quaerenda natura atque origine ali-

---

[1] Cfr. *Marq. Z. f. d. A.* 1847 p. 505.

[2] Cfr. *Marq. Z. f. d. A* 1847 p. 505.

[3] *Verfassung und Verwaltung des römischen Reiches* I.

[4] adde: Hirschfeld *annali* 1866 p. 62.

[5] Cfr. p. 55: „*Verschieden davon ist der zweite Gesichtspunkt, wenn der Aufwand von dem Individuum ohne Rücksicht auf ein ihm auferlegtes* munus *oder einen ihm übertragenen* honor *gemacht wird. Nur dass oft ungewiss bleibt, ob Letzteres der Fall ist, wie wenn gesagt wird: Jemand, der einen* honor *bekleidet, habe etwas gethan, nicht: „ob wegen des* honor“; Hirchfeld *annali dell' instituto di correspondenza archeologica* 1866 p. 62.

cuius instituti publici, cum illa, quae ob honorem praestari solebant, quasi secundaria munera accedant. Ita olim iam Zumptius iudicavit p. 69: „In omnibus autem honoribus municipalibus duo quasi munerum genera discernenda sunt: ea, quae in adeundo honore praestanda sunt, et ea, quae in ipso honore“ similiterque Mommsenus ea, quae ob honorem praestari oportebat, cum propriis primariisque magistratus sacerdotiive muneribus confundi vetuit eph. ep. II p. 145 adn. 4: „Nec magis huc pertinent tituli ibi citati Orellianus 3973 et J. N. 1481; nam cum aediles in illo in viam certam summam dedisse dicantur, in hoc viam lacusque fecisse, ibi diserte additur id eos fecisse ob honorem, hic vero probabiliter idem intellegitur. At quae ob honorem fiunt, non fiunt pro potestate“. Cfr. praeterea, quemadmodum de duumvirum primariis muneribus atque iis, quae ad ea quasi secundaria accedunt, iudicent Madwigius I p. 125; Jungius p. 540. De iis autem muneribus, quae ob honorem praestari oportebat, iam melius quam priores edocti sumus reperto legis col. Jul. Gen. c. 102, quod Mommsenus recte, ut mihi quidem videtur, cum pagi scitu Capuano, quod exhibetur I 571, coniunxit. Cognovimus ex istis titulis magistratus et sacerdotes, quoscunque pro introitu ludos edere oportebat, simul certam summam in eos ludos impendere iussos esse eamque summam interdum loco ludorum in opera publica facienda vel reficienda erogatam esse („*pro ludis*“). Summam autem honorariam, quam aetate imperatoria in municipiis coloniisque magistratus sacerdotesque pro introitu solvere solebant, ab illa summa in ludos impendenda diversam fuisse ad eamque quodammodo se applicuisse tanquam augmentum quoddam eius, in alios tamen usus erogandam, statuit Mommsenus eph. ep. II p. 102 eique assentitur Schiller Römische Staatsaltertümer p. 656. Item sevirum Augustalium quoque munera eo constitisse Mommsenus putat, quod et summam honorariam solvere et ludos edere cogebantur, nisi quod quae aliorum magistratuum

sacerdotumque munera secundaria esse censet [1], ea sevirum munera propria ac primaria fuisse statuit. At summam honorariam non diversam fuisse a summa in ludos impendenda maxime apparere mihi videtur e titulo Pompeiano X 829, quo duoviri i. d. opus aliquod se fecisse indicant „ex ea pequunia, quod eos e lege aut in ludos aut in monimento consumere oportuit.“ Cfr. XIV 2653: magistratus opus faciunt pro ludis. XIV 2628: de senatus sententia ex muneribus sacerdotii opus publicum factum esse dicitur. Nam cum summa honoraria saepe in opera publica erogetur itemque eiusmodi opera saepe pro ludis facta esse dicantur, quidni eandem summam, quae in alios usus erogata sit, intellegendam esse censeamus? Quae sententia confirmatur, ut opinor, titulo

IX 808: „. . . . . Augustales pro munere *ab summa* quadraginta . . . . ad vicum Laris s. p. straverunt.“ Nam cum ea, quae hic nude dicitur, summa ab summa honoraria, quae alibi appellatur, diversa non esse videatur [2] eamque loco ludorum solutam esse pateat („pro munere“), etiam aliis locis summam honorariam loco ludorum fuisse unusquisque facile concedet, praesertim cum nullo certo, quod quidem videam, testimonio nitatur sententia eorum, qui magistratus sacerdotesque et ludos edere et summam honorariam solvere lege obstrictos fuisse censent. Certe in Africa ubi summae honorariae saepissime commemorantur, non intellegitur, cur non iisdem in titulis ludorum mentio fiat, si ludi ad summam honorariam accedebant itemque iis, qui honoribus publicis fungebantur, praestandi erant. Qnamquam non nego etiam fieri potuisse, ut uno alterove loco — nam diversitas locorum his in rebus

---

[1] Cfr. eph. II p. 102: quoscunque pro introitu ludos edere oportebat. p. 103: summa honoraria, quam pro introitu solvere solebant.

[2] Cfr. X 7269 (Panhormi) *Sex. Pompeius Mercator VI vir Aug. praeter summam pro honore d. d. p. s. f.* et X 7267 (Panhormi) . . . *aram et basim Mercuri propter summam honorariam pro seviratu sua pecunia posuit d. d*

plurimum valet — aliquis praeter summam operisve publici dedicationem etiam ludos ederet, nescio an magis morem quam legem secutus, ut traditum est in titulis VIII 7990 et VIII 7991 ad eundem hominem spectantibus, tamen praeterquam quod ludi ultro editi esse possunt, ex hoc uno exemplo magistratus sacerdotesque utrumque praestare coactos fuisse nequaquam colligendum mihi videtur. Aliis enim in titulis Africanis, in quibus et summa honoraria soluta et ludi editi commemorantur, hos ultro factos esse ipsorum illorum titulorum verbis satis indicatur. cfr.

VIII 958: „Numini Augustorum sacrum. C. Aurelius Saturninus Papiria Cilonianus II vir inlata reip. II viratus honoraria summa amplius de suo signum Lupae cum insignib. suis posuit et expostulante populo diem ludorum scaenicorum edidit d. d.“ Quae res etiam magis apparebit, si conferemus titulos VIII 7094—98, qui omnes pertinent ad arcum triumphalem a M. Caecilio Natale ob honorem quinquennalitatis extructum. Titulus enim

VIII 7094: M. Caecilius Q. f. Natalis aed(ilis) III vir quaestor qu(in)quennalis praef. coloniarum .... et Chullitanae praeter (sestertium) LX (millia) n(ummum), quae ob honorem aedilitatis et III viratus et qu(in)qu(ennalitatis) rei p(ublicae) intulit, arcum triumphalem cum statua aerea Virtutis domini n(ostri) Antonini Aug., quem ob honorem quinquennalitatis pollicitus est, eodem anno sua pecunia exstruxit“ scriptus litteris maioribus quattuorque versibus longissimis, secundum Wilmansii interpretationem in fronte arcus propositus, memorat tantum summas honorarias e lege a M. Caecilio Natale rei publicae inlatas. Contra in quattuor aliis titulis VIII 7095—98 scriptis litteris minoribus atque, ut videtur, infra in lateribus vel in ipso fornice positis, qui ceteroquin eadem praebent atque titulus VIII 7094, post verba „rei publicae intulit“ haec addita sunt: „et statuam aeream Securitatis saeculi, et aediculam

tetrastylam cum statua aerea Indulgentiae domini nostri, quas in honore aedilitatis et III viratus posuit, et ludos scaenicos diebus septem, quos cum missilibus per IIII colonias edidit". Quibus verbis liberalitates extra ordinem a Natale in aedilitate et in II viratu in populum collatas significari recte mihi Wilmannsius videtur collegisse. Quam ob rem summam honorariam non praeter ludos, sed pro ludis fuisse persuasum habeo, ut olim Mommsenus de pecunia magistris pagorum Campanorum solvenda iudicaverat I p. 159: Hisce collegiis praefici solebant duodeni homines dicti in collegiis liberorum magistri, in servilibus ministri, quos accepto magisterii vel ministerii honore honorariam pecuniam lege pagi statutam in pagi usum dare oportebat. Et magistris quidem *ludi* inde *faciendi erant, nisi pagi scitu alium in usum eam pecuniam iubebantur erogare* ..... ut documento essent homines in iis lapidibus nominatos *ludos fecisse vel alia ratione legi* satisfecisse." Ubi vero ludi praeter summam honorariam commemorantur, ii plerumque ultro editi esse videntur cf. Hirschfeld annali 1866 p. 62: „Da queste somme obbligatorie abbiamo a discernere doni spontanei (danaro, ludi)" . . . Quomodo vero honoraria summa in locum ludorum edendorum substitui potuerit, facile intellegitur; nam cum decurionibus liceret decernere magistratibus sacerdotibusque pro ludis opera publica facienda vel reficienda esse, quidni iisdem ius fuisse putemus decernendi, ut pecunia in ludos impendenda in arcam publicam inferretur? Atque ut ludi vel dedicationes operum publicorum saepe ob honorem factae esse dicuntur, ita summam in locum eorum substitutam honorariam appellari consentaneum est.

Praeter leges ut in aliis ita maxime in his rebus usum consuetudinemque permultum valuisse cum per se patet tum confirmatur loco Digestorum (50, 4, 1 § 2), quem laudat Marquardtius Staatsverv. I 137 adn. 2: „pro lege cuiusvis civitatis et consuetudine". Cui addi potest alius Digestorum locus 50, 4, 18 § 27:

„Sed ea, quae supra personalia esse diximus, si hi qui funguntur ex lege civitatis suae vel more etiam de propriis facultatibus impensas faciant, mixtorum consuetudine continentur."

Quantopere vero eius modi munera e more consuetudineque pependerint, facile cognosci potest ex titulo XIV 2101: „Imp. Caesari L. Septimio Severo Pio Pertinaci Aug. et Imp. Caes. M. Aurelio Pio Felici senatus populusque Lanuvinus in locum balnearum, quae per vetustatem in usu esse desierant, thermas ex quantitatibus, quae ex indulgentia dominorum ñ ñ principum honorariarum summarum adquisitae erant, item ex . . . . exstruxit et dedicavit."

Cuius tituli verba inde a „quae . . . ." Mommsenus recte mihi ita interpretatus esse videtur: „Cum antea Lanuvini sacerdotes pro introitu aut non solvissent aut summam minorem, permissu imperatorum res publica eam numerationem aut instituit aut auxit." Quae res etiam magis apparet, si diversitatem locorum respicimus. Nam cum in Africa e. g. summae honorariae magistratuum sacerdotumque admodum saepe commemorentur, in Italiae inferiore parte (C. IX et X) atque in Gallia Narbonensi vix ulla eius rei mentio invenitur. Sevirum Augustalium e. g. in Gallia Narbonensi neque summae neque ludi neque operum publicorum dedicationes commemorantur (cf. Hirchfeld C. XII index s. v. Augustales), nisi quod titulo XII 3203 aliquis sevir se compluribus locis gratuito seviratus honore functum esse praedicat, unde ibi quoque seviros summam quandam in rem publicam inferre lege iussos esse apparet. Hoc vero num omnibus Galliae locis fuerit, mea quidem sententia magnopere dubitari potest propter exiguam memoriam seu summarum honorariarum seu ludorum seu dedicationum operum publicorum ob honorem seviratus factarum. Praeterea sunt, qui primos se eiusmodi ludos dedisse glorientur. cfr. XIV 353, VIII 1888, aliis in titulis eius modi dedi-

cationes non e lege, sed exemplo aliorum factae esse dicuntur. cfr.

XIV 2804: „Agusiae T. f. Priscillae sacerdoti Spei et Salutis Aug. ex d. d. Gabii statuam ponendam curaverunt, quod post impensas exemplo inlustrium feminar(um) factas ob sacerdotium etiam opus ....“ In universum igitur harum rerum nullus certus modus statui potest, quia magnopere pendent non solum a diversitate locorum, sed etiam ab temporum diversorum usu consuetudineque.[1]

Praeter haec munera, quae ii, qui ad honores publicos gerendos electi erant, seu lege iussi seu consuetudini obsecuti praestare solebant, saepissime alias res, quae usui publico essent, ultro addere solebant, seu statua se honorari volebant seu ambitioni municipali, quam etiam Taciti temporibus pervolgarem fuisse cognoscimus, nimis in dulgebant.[2] Quo in nummero etiam habendae sunt pollicitationes ob honores publicos factae, de quibus est totus titulus undevicesimus libri quinquagesimi Digestorum. Sed omnia haec munera, qualia sunt summa honoraria, ludi, strationes publicae, secundaria omnibusque honoribus municipalibus communia sunt longeque differunt ab iis muneribus, quae pendent a natura cuiusvis magistratus sacerdotiive („*Functionen*“), quae in titulis fere non commemorantur, si quidem in iis eorum tantum plerumque mentio fit, quae quis ultro fecit. E. g. ludi, quos sacerdos divi Hadriani se edidisse titulo XIV 353 indicat, non pertinent ad propria eius sacerdotii munera, quia is, qui fecit, se solum ac primum ludos scaenicos edidisse indicat. cfr. praeterea

VIII 1888: „Sa]turnini [S]aturniani fl. p. p. filio [n]epoti C. Jul. Romuleani eq. R(om.) pontif(icis), qui primus a condita civitate sua, ob honorem flamonii annui, munus diebus

[1] Cfr. Hirschfeld *annali* 1866 p. 63: un obbligo quasi morale. Cfr. praeterea. eph. ep. V 289 adn. et eph. ep.VII p. 401, 403.

[2] Nissen *Pompeian. Studien* p. 264: *Seinen Namen an einem öffentlichen Denkmal zu verewigen hat dort seit je als einer der höchsten Triumphe menschlichen Ehrgeizes gegolten.* Jung p. 541. Ammian. Marcellin. 14, 6, 8. Tac. ann. IV 62: ut qui non abundantia pecuniae nec municipali ambitione, sed in sordidam mercedem id negotium quaesivisset.

[tribus par]ibus senis curiae suae [dedit], univer[sae] curiae [et A]ugustales."

His de rebus ad omnes honores municipales pertinentibus quoniam satis multis verbis disserui, iam ad sevirum Augustalium munera propria recensenda aggrediamur. Atque Zumptius quidem[1] ut sevirum equitum Romanorum ita sevirum Augustalium quoque munus primarium fuisse ludos edere statuit eamque opinionem fulsit titulo Barcinonensi II 4514 exeuntis saeculi secundi. Quo titulo L. Caecilius Optatus post emerita stipendia ab M. Aurelio Antonino imperatore honesta missione missus cum Barcinone consedisset atque honores multos gessisset, rei publicae huius coloniae HS. triginta milia se legasse ostendit ea condicione „ut liberti mei, item libertorum meorum libertarumque liberti, quibus seviratus contigerit, ab omnibus muneribus seviratus excusati sint; quot si quis eorum at munera vocitus fuerit . ." omnem pecuniam ad rem publicam Tarraconensium transferri iussit. Ex usuris autem semissibus eius quam legarat pecuniae quotannis spectaculum pugilum edi voluit a. d. III. Id. Jun. eodemque die oleum in thermis publicis praeberi. Qui cum spectaculo divisioneque perpetua instituenda sevirum Augustalium munera compensari posse existimaverit, nonne inde colligendum videtur sevirum munera eiusmodi fuisse? Cum Zumptio autem consentiens Mommsenus quoque ludos munus primarium sevirum fuisse censet, nisi quod praeter ludos ad summam quoque honorariam solvendam eos lege obstrictos fuisse iudicat. Sed summam honorariam non ad ludos se applicuisse, sed locum ludorum obtinuisse cum ex similitudine ceterorum honorum municipalium suspicari licet, tum apparet ex titulo IX 808, quem supra transcripsi. Neque obstat titulus II 2100, in quo et summa soluta et ludi a seviro editi commemorantur:

„Sacrum Polluci. Sex. Quintius Sex. Q. Successini lib. Fortunatus ob honor. VI vir(atus) ex d. ordinis soluta pecunia petente populo donum de sua pecunia dato epulo

---

[1] p. 69.

civibus et incolis circensibus factis d. d." Nam cum illa summa decreto ordinis soluta sit, dedicationem, quae hic commemoratur, ultro factam esse vel ex verbis „petente populo" (Cfr. Mommsenum ad X. 6012) satis apparet, de ludis vero quid iudicandum sit, statim docebo.

Iam si recensemus sevirum titulos, maximi momenti sunt ii, in quibus ludi ab iis editi commemorantur, propterea quod propter hos potissimum cum seviris equitum Romanorum comparati sunt. Ac primum quidem excipiendi sunt ii ludi, quos seviri ob alium honorem, qui ad seviratum accessit, veluti ob bisellium datum, ediderunt:

IX 2249: „d. m. s . . . . nio Castori Aug. [bis]ell. Telesiae edenti . . . munera famil. glad. Teles(iae) [ob ho]norem bissellii." Deinde non respiciendi sunt ludi ob dedicationem operum publicorum editi. Namque in dedicationibus publicis ut sportulae dividi solebant[1], ita ludos quoque interdum factos esse apparet ex his titulis:

II 1956: Iunia D. f. Rustica, sacerdos perpetua et prima in municipio Cartimitano, porticus public(as) vetustate corruptas refecit, solum balinei dedit, vectigalia publica vindicavit, signum aereum Martis in foro posuit, porticus ad balineum solo suo cum piscina et signo Cupidinis epulo dato et spectaculis editis d. p. s. d. d.

II 21 21: Signum Mart. Au[g.] A. Terentius A. f. Gal. Rusticus II vir pont. . . . ludis scaenicis factis d. s. p. d. d.

II 1685: M. Val(erius) M. f. Marc[ellus aed. II] vir . . . accepto loco a re publica horologium omni [impen]sa sua editis . . . . . et ludis scaenicis d. d.

III 1745: P. Aelio P. f. Trosilliano Novia Basilia mater et Novia Justilla avia posuerunt et sportulis decurio(nibus) Augustalibus et sexviris datis item pugilum spectaculo dedicaverunt. cfr. praeterea VIII 867. 897. 967. 2344. 6046. 6994. eph. VII 258. 757. 760.

---

[1] Cfr. *Sch.* p. 73. Praeterea tunc temporis omnino qui magistratum publicum inirent vel opus publicum dedicarent, ut decuriones municipesque ad epulum vocarent vel sportulas eis dividerent, erat tritissimum.

Cum his recte mihi coniungere videor sevirum titulos hos:

II 2100: quem supra transcripsi.

II 13: Fortunae Aug. sacr(um.) Annius Primitivus ob hon. VI vir(atus) sui edito barcarum certamine et pugilum sportulis etiam civibus datis d. s. p. d. d.

II 1108; Libero Patri sacr(um.) L. Caecilius Saturninus L. Caeli Parthenopaei lib. ob honorem VI (viratus) editis ludis scaenicis d. d.

Ultro vero editi esse videntur ludi, quorum mentio fit in titulo

X 4760 (a. p. Chr. 169): „C. Titio Chresimo Aug. II. Huic ordo decurionum, quod pro salute et indulgentia imp. Antonini Pii Felicis Aug. et ex voluntate populi munus familiae gladiatoriae ex pecunia sua diem privatum secundum dignitatem coloniae ediderit, honorem bisellii, quo quis optimo exemplo in colonia Suessa habuit, et ut aquae digitus in domo eius flueret commodisque publicis ac si decurio esset frueretur, et Titio Chresimo filio eius ob merita patris honorem decurionatus gratuitum decrevit, ordo decurionum et Augustalium et pleps universa.“ Neque enim solum C. Titius Chresimus se id munus ex voluntate populi dieque privato edidisse praedicat, sed etiam ei propter merita honores emolumentaque publica decernuntur, nimirum nulla alia de causa, nisi quod munificentissimus erga rem publicam fuerat. Similiter iudicandum est de titulo IX 2252 in quo merita seviri, qui ludos ediderat epulasque publicas praebuerat, praedicantur.

„L. Manlius Rufio VI vir an LXXVII Telesiae ludos scaenicos fecit, epulum colonis Telesinis et liberis eorum et incolis crustlum et mulsum dedit, eique pro merito eius coloni et incolae in clupeum contulerunt h. c.“ Contra in titulis IX 1703. 4168; X 1574. 4913; XI 3214. 3613, quia non addita sunt verba ob honorem, dubium est, utrum ludi ibi commemorati a seviris seu Augustalibus propter legem an ultro editi sint.[1] Atque etiamsi multa eius modi ultro

[1] Cfr. de titulo X 1574 Zumptium p. 39: *de ludis statis, quos communi sumptu Augustales celebrarint, nullam certam invenio memoriam; nam extraordinarii erant ludi qui commemorantur in titulo Neapolitano.*

praestari potuerunt, qualia sunt ludi, dedicationes operum publicorum, tamen adsunt certa testimonia, e quibus seviros seu Augustales aut ludos edere aut summam solvere aut aliquid in usum publicum dedicare lege iussos fuisse satis manifestum sit. In his primo loco afferendi sunt tituli, in quibus seviri seu Augustales se aliquid fecisse indicant pro ludis IX 808; XI 3781. 3782, deinde ii, in quibus summae honorariae (II 984. 1934. 2100. 3249; X 7267. 7269. 1885. 4792) sevirum seu Augustalium sive iidem gratis facti commemorantur: III 3851. 6294; V 4431. 4439. 4480. 5311. 5600; IX 934. 3959. 5017. 5301. 5447. 5448; X 1891. 3676. 3907. 3959. 4591; XI 1030. 1228. 1344 XII 3203; XIV 3656. Huc accedit magnus numerus operum publicorum a seviris ex decreto ordinis factorum. Sed cum in permultis titulis seviri seu Augustales „*ob honorem*“ ludos edidisse seu summam solvisse seu aliquid in usum publicum dedicavisse dicantur, ludos a seviris Augustalibusque editos aequipero ludis ab aliis magistratibus sacerdotibusque „*ob honorem*“ acceptum editis, ut olim iam Borghesius de iis iudicaverat: bull 1842 p. 102: „*Chi in fatti non vede che quell' ob h., ob hon., ob honor. indica manifestamente l'occasione o la causa per cui i sei di Narona fecero innalzare quei ceppi, e anche le statue, o che altro fosse loro sovrapposto?*“ Atque in sequentibus ludos a seviris editos comparat cum munere gladiatorio ob honorem decurionatus edito (= J. N. 4768) his verbis: *a cui corresponde egregiamente il C. Giulio Marziale della nostra lapide quarta che anch' egli oltre la base diede i giuochi scenici. Niente anzi di piu commune quanto simili dedicazioni fatte dai seviri pel conseguimento della loro carica.*“ Ut vero ceteri honores municipales non continentur ludis edendis vel summa honoraria solvenda, ita ne sevirum Augustalium quidem munus primarium fuisse puto ludos edere, praesertim cum ludi ab iis modo ultro, modo ex voluntate populi, modo ob honorem acceptum editi esse dicantur omnesque eiusmodi res, quales sunt ludi, summae honorariae etc. magnopere a consuetudine et diversitate locorum pependisse

---

Henzenum *Z. f. A.* 1848 p. 209: *Denn auf diese lege ich kein Gewicht, insofern sie allerdings eine ausserordentliche Leistung betreffen können.*

cognoverimus. Ludos enim edere vel eorum loco aliquid in usum publicum dedicare e. g. etiam magistri Augustales lege iubebantur (XI 3038 magistri Augustales pro ludis) et nihilo setius cultum Larum Augustorum eorum munus proprium fuisse unus quisque concedet.

Similiter atque de ludis iudicandum est de epulis publicis, quas seviros praebuisse ex loco illo Petroniano (c. 71) cognoscimus; nam ne eas quidem inter primaria sevirum munera recensendas esse vel inde apparet, quod in titulo IX 808, quem supra transcripsi, aliquis se primum cenam sexviralem dedisse gloriatur. Cfr. Zumpt. p. 71: „nam et ludi et gladiatores non dubium esse debet, quin pertineant ad seviratum ab eo, cui hic titulus positus est, gestum novumque additur, quod cenam sexviralem primus ediderit, ut hanc cenam nec omnibus temporibus nec, opinor, in omnibus civitatibus usitatam fuisse intellegamus.“

Pro ludis interdum decuriones summam honorariam solvendam vel opus aliquod publicum faciendum vel reficiendum decreverunt, unde illa verba: *„pro ludis, pro impensa ludorum, ex decreto ordinis“* eiusmodi dedicationibus addita facile explicantur: quae res nescio an inde pendeat, quod, ut e legis col. Jul .Gen. cap. 64 cognovimus, decurionibus intra dies decem quibus magistratus inissent decernendum erat, qui et quot dies festi eo anno futuri essent[1]. Tale aliquid si decuriones de seviris decreverunt, eos lictoribus eo anno, quo seviratum gerebant, uti non oportebat, quandoquidem ludos non edebant, ad quos sevirum lictores revocandos esse Mommsenus censet. Quid vero sibi vult toga praetextata in iis seviris, qui pro ludis summam solvebant seu opus aliquod publicum faciebant vel reficiebant? Quae cum ita sint, nonne lictores et togam praetextam, quam seviris convenisse constat, potius ad aliam originem revocemus quam ad ludos, quorum loco saepissime dedicationes operum publicorum fiebant? In universum autem, ut hoc iterum dicam, vix veri simile est honorem quendam publicum institutum esse, cui nihil proprium aut a ceteris honoribus municipalibus diversum esset. Nam seviri secundum Momm-

[1] Cfr. eph. III p. 102.

seni opinionem ea tantum praestare debebant, quae ceteris magistratibus sacerdotibusque quasi secundaria munera ob honorem acceptum praestanda erant.

Iam vero quid sibi volunt seviri et Augustales gratis facti, si recta est Mommseni sententia? Nam cum eorum honorem annuum fuisse constet, quid iis, qui gratis facti erant, in seviratu vel Augustalitate annua gerendum erat, si ea ipsa, quae eorum munera propria fuisse quorumque causa eos institutos esse Mommsenius putat, iis remittebantur? Quid vero illi VI viro Aug. II gratuito praestandum erat, qui exhibetur V 4480? Quem si in secundo seviratu neque ludos edere neque summam solvere oportebat, cur eum iterum sevirum fecerunt? Est igitur iis, qui Mommseni sententiam probant, statuendum seviros Augustalesque gratis factos eosdem fuisse atque seviros et Augustales adlectos, qui ipsi quoque deprehenduntur: V 3354; IX 4891. 4896; X 1891; cfr. Sch. p. 70. Sed propter similitudinem ceterorum honorum municipalium nonne potius verba: *„gratis factus“* similiaque ad eos referamus, quibus summa honoraria remissa reliqua tamen illius magistratus sacerdotiive munera propria praestanda erant, adlectos autem eos fuisse intellegamus, qui nihil eiusmodi curabant, sed iuribus tantum atque emolumentis cum illo honore coniunctis utebantur? Atque confirmatur ea sententia titulo

III 6294: „L. Anatino L. lib. Phoebo Aug. col. Ulp. Rat. ornato ornam. decurional. immunitate muner(um) public. concessa ab ordine col. eiusd. . . .“ Cuius tituli verba *„immunitate munerum publicorum concessa ab ordine“* idem significare atque gratuito, gratis factus similiaque quae alibi inveniuntur primo oculorum obtutu apparet; explicanda autem ea esse secundum ea, quae infra de usu vocabuli *„munerum“* exponam, persuasum habeo.

Neque obstat iis, quae iam exposui titulus Barcinonensis II 4514 supra laudatus, in quo ludos munera seviratus propria significari facile suspiceris. („ut ab omnibus muneribus seviratus excusentur“). Namque ea ipsa munera cum honorihus publicis coniuncta („munera honoribus cohaerentia“ Dig.) seu lege praescribebantur seu ultro praestabantur,

etiam aliis locis vocabulo *„munerum“* significari videmus. cfr. Kuhnium I p. 55: *Solche aus freiem Entschluss hervorgegangenen Leistungen z. B. nach eigener Entschliessung und auf eigene Kosten ausgeführte Bauten nannte man nicht minder als jene ersten* (ob honorem) munera“. Cfr. X 1453: „Prid(ie) Kal. Mart. Scribendo adfuerunt cuncti. Quod verba facta sunt M. Remmios Rufos patr. et fil. II vir iter. ex sua pequnia pondera et chalcidicum et scholam secundum municipii splendorem fecisse ..... d(e) e(a) r(e) i(ta) c(ensuerunt): placere huic ordini, cum M. Remmi pat(er) et fil(ius) II vir. iter. in edendis m u n e r i b u s adeo liberales fuerint ....“; et III 633 I: „P. Hostilius Philadelphus ob honor. aedilit. titulum polivit de suo et nomina sodal. inscripsit eorum, qui m u n e r a posuerunt. Alfenus Aspasius sacerd. signum aer. Silvini cum basi. item vivus HS I mortis causae sui remisit“. Munera igitur illa secundaria, quae interdum solemniter „munera“ significantur, si non sola, at tamen maxime onerosa erant, cum fortasse in ipso honore gerendo nulla fere impensa opus esset, ut e. g. legis col. Jul. Gen. c. LXIX cautum est, ut redemptoribus eorum, quae ad sacra publica resque divinas pertinerent, pecunia singulis annis primo quoque die attribueretur. Quare L. Caecilium Optatum pecuniam rei publicae Barcinonensium legasse videmus in ludos erogandam, quia libertos suos, si seviri fierent, ab omni impensa, quae e ludis edendis aliisve eiusmodi muneribus oritura esset, relevatos esse voluit.

A ludis igitur in quaerendis muneribus propriis sevirum Augustalium atque origine huius instituti proficiscendum non est, quippe quos, si naturam eius instituti respicimus, in numero munerum secundariorum habendos esse cognoverimus. Hoc cum de seviris Augustalibus constet atque de seviris equitum Romanorum veri simile sit, vereor, ne de Mommseno valeant ea, quae ipse quondam de diudicanda natura aedilitatis obiecit St. II² p. 506: *Wenn also, was sehr glaublich ist, die Ausrichtung der römischen Spiele von Haus aus zu den Obliegenheiten der curulischen Aedilen gehört hat, so darf man das Fundament des Gebäudes nicht mit dessen Ornamentierung verwechseln. Vielmehr wird auch hier fest-*

zuhalten sein, dass wie die Ausrichtung der Volksfeste in der späteren Republik in sehr zufälliger Weise mit den einzelnen Magistraturen verknüpft worden ist, so auch bei der Aedilität die Spielgeberschaft mit der eigentlichen Competenz des Amtes nichts gemein hat. cfr. praeterea eundem de quaestoribus II[1] p. 503: *Weniger als Amtspflicht denn als eine pekuniäre Last, eine Art Eintrittsgeld in den Senat und die Ämterlaufbahn, wurde den Quästoren .. die Pflasterung der Strassen .. auferlegt, wofür unter Claudius die Ausrichtung von Gladiatorenspielen substituiert ward.*

Sacerdotalia autem eos munera curasse inprimis mihi indicare videdur nomen Augustalis aut sevirum nomini appositum aut ita usurpatum, ut, qui annuo honore fungebantur, seviri, Augustales ordinis socii appellarentur, quamquam etiam illi interdum Augustalium nomine significantur (cfr. Aug. II et cet). Ista autem significatio, qua non qui quotannis cultum domus divinae curant, sed qui illo honore functi sunt, nomen traxisse statuuntur ab eo, qui colebatur, deo, primo oculorum obtutu mira esse potest. Neque vero est, cur miremur, si cum Schmidtio p. 38 (qui quamquam a titulo quodam huc non spectante profectus hoc docuit, de re tamen cum eo consentiendum puto) ordinis quoque socios per totam vitam dies festos in honorem Augustorum institutos celebrasse statuimus, cum seviri graviora munera subirent.[1] Ita collegiati quoque saepe ab eius, quem maxime colebant, dei nomine appellati sunt, cum nihil nisi cenis in honorem eius dei institutis interessent, cum cura sacrorum, cenarum instruendarum similiumque rerum penes sacerdotes, magistros, quinquennales et cet. esset.

Atque illam appellationem Augustalis ad cultum imperatorium spectare et per se dilucidum est et Mommsenus ipse concessit, cum propter illum cultum eos ita nominatos esse statueret, nisi quod eum a propriis sevirum muneribus

---

[1] Cfr. Mommsenum in *museo Rhenano* 1848 p. 10: „Quos (munere functos) .... ita omnino nomen, locum honoremque retinuisse et in collegio, quod obtinuerant, ita remansisse, ut in epulis sacrisque decretisque honorificis simul interessent, Romanae consuetudini convenit“.

prorsus secernendum esse putabat.[1] Si vero respicimus eas regiones, in quibus ii quoque, qui annuo honore fungebantur, Augustales significantur, quis eos sevirum equitum Romanorum similia munera curasse statuet? Nonne certe in his regionibus, quae munera eorum propria fuerint, ex nomine colligendum videtur? Iam vero si illam appellationem sexvirum Augustalium in iudicium vocamus, eam cum simillimis significationibus magistratuum sacerdotumque Romanorum, qui ipsi quoque a numero honore fungentium nomen traxerunt, conferendam esse puto: cfr. II viri i. d. II viri aed. pot., triumviri rei publicae constituendae, viginti viri agris dandis adsignandis, septemviri epulones, quindecimviri sacris faciundis similesque. Omnium harum appellationum altera parte nihil nisi numerus illo honore fungentium[2] indicatur, cum ex altera parte, quae eorum munera propria fuerint, facile colligi possit. Iam si conferimus illos sodales Augustales Claudiales Flaviales cum seviris similiter appellatis, itemque si sevirum illum Augustorum (II 4300) comparamus cum sacerdotibus, quibus nomen dei, quem colunt, secundo casu appositum est, facere non possumus, quin cultum domus divinae sevirum quoque munus proprium ac primarium fuisse statuamus, praesertim cum ex iis, quae Mommsenus respexit, muneribus nihil certi de eorum natura atque origine colligi liceat. Praeterea conferas, si placet, seviros illos Victoriae, qui bis deprehenduntur X 5199 et 5416. Quos cum propter cultum illius deae ita appellatos esse manifestum sit, quidni illum cultum eorum munus proprium fuisse statuamus? Hoc si concedis, idem de seviris Augustalibus maximeque de eo, quem supra laudavi, seviro Augustorum

---

[1] Cfr. *St.* III. 453 adn. 1: *Übrigens hat der Untersuchung über das Wesen des Instituts nichts mehr geschadet, als dass man, auch ich, die unendlich mannigfachen Gestalten des Augustuskultes, sowie sie collegiale Formen annehmen und der Plebs angehören, mit der spezifischen Organisation der Augustalen entweder zusammenwarf oder doch in eine mehr oder minder unklare Beziehung zu derselben zu bringen gewohnt war.*"

[2] aliter Mommsenus de ea re iudicare videtur *Arch. Zeit.* 1879 p. 75: . . . *und die Bezeichnung* viri *ist weit besser für* Magistrate *geeignet;* sed velim conferas titulos municipales Or. 3998, 3999: VI viri s. f.

statuendum est. Si vero seviri illi Victoriae, qui Aquini obvii sunt, item atque Mommsenus de sexviris Augustalibus statuit, non a propriis muneribus, sed a cultu deae, qui ad eorum primigenia munera loco secundarii muneris accedebat, nomen traxerunt, difficile intellegitur, cur diversis nominibus et sevirum Victoriae et sevirum Augustalium ii, qui similia munera gesserunt, — nam hoc secundum Mommseni expositionem de seviris quoque Victoriae statui potest — in eodem oppido denotati sint.

Quoniam de sacerdotalibus sevirum Augustaliumque muneribus ago, hoc loco omnia, quibus ea indicentur, colligere mihi liceat. Ac primum quidem Vercellis Augustales expresse se significant: „cultores domus divinae“ [1], ac nescio an cum his titulis comparandus sit titulus Novarae repertus, qui est editus notizie degli Scavi 1884 p. 166: „dis Manibus. L. Valerius L. f. Primus VI vir inter cultores domus divinae Valentiae matri, L. Valerio Optato fratri“; namque ista significatio (cultores domus divinae) ex ea aetate esse potest, qua Augustalium institutum nondum omnibus locis stabilitum Augustaliumque nomen nondum pervolgare fuit. Neque enim in eo offendendum est, quod cultores domus divinae hic appellantur, si quidem cultores alicuius dei plerumque collegia funeraticia significantur. cfr. Mommsenum ad III 633: „Funeraticium collegium fuisse cum ex ipso cultorum nomine apparet“, X p. 1162: „cultorum collegia pleraque funeraticia fuisse videntur.“ Nam a Tacito quoque istam appellationem de collegiis, quae non funeraticia erant, usurpatam videmus. ann. I 73: „quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos in modum collegiorum habebantur“ ....; Qua in re etiam si dissentis a me cultoresque domus divinae privatum quoddam collegium fuisse iudicas, ut e. g. cultores domus divinae, qui XIV 3540, 3561 exhibentur, collegium funeraticium esse videntur, tamen illud VI vir non ad illud collegium refe-

---

[1] Cfr. V 6657, 6658. Hirschfeld l. l. 838 adn. 28; veri simile est huc spectare titulum quoque Novariae repertum V 6518 cfr. Premmerstein: *„Zu einer Gruppe von Inschriften der Augustalen“ in „archaeologisch-epigraphische Mitteilungen aus Oesterreich“* XI (2) p. 240.

rendum, sed L. Valerium Primum sexvirum Augustalem fuisse statuendum est.[1] Deinde seviri Mevaniae duobus in titulis (Or. 3998, 3909) VI viri s(acris) f(aciundis) diserte appellantur. Hos autem seviros ab iis, qui alibi appellantur VI viri Augustales, diversos non fuisse Bormannio (bull. 1879 p. 14) ac Marquardtio (Staatsverw. I 199 adn. 1) facile concedimus; nam quae Herbstius (de sacerdotiis Romanorum municipalibus Halis Saxonum 1883 p. 43) obiecit: „(quos) inter collegia recensendos esse altera inscriptio Orelliana 3399 (C. Attius J. lib. Januarius VI vir s. f. . . . hic collegio suo centonariorum legavit) ipsa videtur ostendere“ nugae sunt, quas hoc loco refutare supersedeo. Praeterea in titulo seviri V 3386 bisellium cum instrumento sacrificali pariterque in anaglypho Brixiano V 4482 sacrificium sexviri Augustalis expressum est, quibus rebus seviratus munus indicari, quicunque fere de iis titulis scripserunt, consentiunt. Sch. p. 72. 83; Hübner Hermes XIII 414. Quod vero Mommsenus attulit ad hos titulos explicandos[2], omne genus ludorum cum sacrificiis quibusdam coniunctum fuisse[3], nihil valere mihi videtur; nam ut alia omittam, quibus sacerdotalia eorum munera indicentur, mirum est sacrificia in sevirum titulis repraesentari, si nulla alia sacra curabant quam quae unicuique domino ludorum curanda erant, seu ultro seu ob honorem ludos edebat, cum in aliorum dominorum ludorum titulis nullum eius rei vestigium inveniatur, Certe Mommsenus nullum domini ludorum titulum attulit, in quo sacrificia repraesentarentur, quae ad nullum certum cultum spectarent; contra plerumque atque, id quod veri simile est, solorum in sacerdotum titulis sacrificiis expressis munera eorum indicantur, cfr. tabulas duas sacerdotum collegiorum

---

[1] Cfr. *Sch.* p. 26: „alteri rationi obstat quod de seviris ut alius cuiusdam collegii magistris nihil aliunde accepimus eaque de causa, ubi nude commemorantur, definitione accuratiore non adiecta, sexviri Augustales notissimi quin intellegendi sint, dubitari nequeat.“

[2] *St.* III 455 adn. 6.

[3] Cfr. Cyprian. de spect. c. 4: quis ludus sine sacrificio. Schultze: *Untergang des griech.-röm. Heidentumes* I p. 155.

artificum scaenicorum, quas exhibet Lueders in appendice libri, quem inscripsit: *„Die Dionysischen Künstler,"* et eph. VII 89: femina sacrificans in ara in titulo sacerdotis Cererum; praeterea eph. VII 470. 478. Postremo loco commemoro phretrium Augustalium XI 3614, quocum conferenda puto Graecorum *φωλητήρια* sive *φωλεαί* sive *θιασῶνές*[1], aedem Augustalibus institutam (III 6270) sacerdotemque primum corporis Augustalium, qui obvius est III 3016; nam cum Augustales posterioribus temporibus interdum in collegiorum corporumve formam transiisse aliunde constet[2] et hic diserte corpus Augustalium appelletur, hunc sacerdotem primum corporis Augustalium potius cum sacerdotibus reliquorum collegiorum[3] quam cum Augustalibus primis,[4] qui aliis locis deprehenduntur, conferam. Contra ex urceo et patera in nonnullis sevirum monumentis exsculptis, quibus Marq. Staatsverw. I 199 adn. sacerdotalia eorum munera indicari putat, nihil eiusmodi colligi licet, si quidem ea in titulis sepulcralibus nihil nisi ornamento sunt. Cfr. Hirschfeld XII (index) p. 965: „anaglypha in cippis sepulcralibus paganis expressa (folia, serta, urceum et pateram) non enotavi".

Maioris mihi momenti esse videtur, quod interdum Augusti cultum cum alterius dei cultu coniunctum videmus. Respiciendi hoc loco maxime sunt Augustales Martini, qui erant Carsiolis, et Herculanei Augustales, qui Tibure deprehenduntur. Ac cum Schmidtius, quamquam Carsiolis VI vir Aug. Mart. (X 4071) et ordo Aug. Mart. (X 4067) commemorantur, hoc non sufficere iudicarit ad eorum confusionem probandam[5] similiterque de Herculaneis Augustalibus, qui Tibure obvii sunt, iudicaverit, iam aliter de ea re sentimus propter titulum.

---

[1] Cfr. Hesych s. v. *οἶκοι, ἐν οἷς συνιόντες δειπνοῦσιν οἱ θίασοι.* Lueders *Die Dionys. Künstler* p. 11.

[2] *Sch.* p. 40.

[3] Cfr. III 633. 6150. *Marq. Privataltertümer* I 373.

[4] *Sch.* 87.

[5] p. 58 contra Henzenum *Z. f. A.* 1848 p. 308: *Ist gar* ordo Augustalium *mit einem Zusatz verbunden, so ist an der Vereinigung beider Collegien nicht zu zweifeln.*

XIV 3679: „C. Sextilius v. V. lib. Ephebus Herculanius Augustalis“. In latere: „Quod L. Alfenatius . . . . s et M. Mucius Tiburtinus IIII viri III kal. Septembr. . . . . [in basilic]a . . . aditu dato Sextilio Ephebo cognita petitione [eius qua c]ontinebatur, ut permi[tteretur e]i basim marmo[ream] . . . sub thensauro Herculis et Augusti porta Esquilina ponere, si[cut] de ea re auctoritas perscripta est, qu(id) d(e) e(a) r(e) fi(eri) (placeret), de ea re ita censuerunt: Cum L. Sextilius Sa . . . . . e virginis Vestalis b. Ephebus. non hod[ie primum] munificus erga rem publi-c[am] exornaturus sit [eam posi]ta base marmorea sub thensauro Her[culis por]ta Esquilina, agere grate[s S]ext[ilio Ephebo] permittique it titu[lo] quoque nomine s[uo inscript]o significari ad[iecto] in inscriptine l[ateris sena]tus n(ostri) consulto, qu[o f]acilius ceteri quoque exemplum e[ius s]equi velint.“ Quo in titulo cum altero loco thensaurus Herculis et Augusti, altero thensaurus Herculis nude dicatur, Tibure cultum utriusque dei arte cohaesisse et ab iisdem, qui Herculanei et Augustales appellabantur, curatum esse puto consentiens cum Dessavio XIV p. 367, 254. Ad cultum utriusque dei etiam referendi sunt magistri Herculanei et Augustales titulorum XIV 3652. 3665. 3681.[1] Quam ob rem nullius momenti est, quod Mommsenus St. III 456 adn. 1 obiecit profectus a titulo X 1272 = L. Sattio L. l(ib). Phileroti magistro Mercuriali et Augustali: *„Hier erkennt man deutlich das Hervorgehen der Augustalen aus sacralen Collegien, aber nicht minder das Abwerfen des sacralen magister.“*

Iam conferamus Augustales cum similibus ordinibus, quales sunt Apollinares, Concordiales, Mercuriales et cet. Ac primum quidem isti ordines utique secernendi sunt a collegiis privatis, quae nomen ab eo, quem colebant, deo traxerunt ac pleraque funeraticia sunt. Nam qui sunt socii privati cuiusdam collegii, fere aut non indicant id, nisi in collegio illo honorati sunt, aut si indicant, utuntur vocabulo, quo id diserte significetur, qualia sunt socius, corporatus

---

[1] Similiter in Asia cultum imperatorium ad aliorum deorum cultum se applicuisse videmus cfr. Büchner „de neocoria“ p. 29 adn. 1.

similiaque. cfr. X 24: collegius cannophororum; IX 2480: collegia cannophorarum XI 2643: corporati in corpore codicariorum et cet. Illorum autem ordinum socii nude appellantur Apollinares, Mercuriales et cet., unde honorem vel munus aliquod publicum eos gessisse suspicor.[1]

Aliud eius rei indicium eo contineri puto, quod Herculanio illi Augustali tituli XIV 3670, cum basem marmoream sub thensauro Herculis et Augusti positurus esset, permissu decurionum opus erat, quam rem in templo privati cuiusdam collegii, quale erat e. g. templum Dianae et Antinoi, nequaquam opus fuisse puto. Praeterea ut Augustales ita Martiales quoque et Mercuriales inter ordines publicos enumerantur, de quo conferas ea, quae sequuntur. Quam ob rem ii ordines in indicibus corporis inscriptionum Latinarum fere non sub collegiis et corporibus, sed sub eo titulo, qui inscribitur „Augustales et similes ordines“, enumerantur. Horum ordinum quae habemus testimonia, ea hoc loco colligam: atque Carsiolis quidem habemus Martinos non diversos ab Augustalibus Martinis, ut supra demonstravimus (cfr. c. XIV indicem s. v. Carsioli), itemque Tibure Herculanei Augustales traditi sunt (cfr. c. XIV indicem s. v. Tibure). Mutinae, qua in urbe adhuc Augustales reperti non sunt, Apollinares obvii sunt, quos Mommsenus recte observavit ibi eum locum obtinuisse, quem alibi sexviri Augustales obtinent XI p. 151: plerumque libertini XI 845. 846. 849. 850. 852. 853. 855, interdum ingenui = XI 853. 854, uterque antiquioris aetatis, alter post decurio.

Praeter Augustales similes ordines commemorantur hisce in oppidis: Patavii Concordiales = V 2525. 2307. 2843. 2865. 2869. 2872. 2874. 2875.

Vicetiae Concordialis = V 3130 (nisi ad Patavium pertinet.)

Beneventi Mercuriales = IX. 1707. 1708. 1709. 1710.

Brundisii Mercuriales IX 55. 56.

Compsae: *Mercuriales IX 972.

---

[1] Cfr. *St.* I[3] p. 346: .... *noch auf den Inschriften, die abgesehen von den eigentlichen Ämtern nur dauernde Lebensstellungen anzuführen pflegen.*

Fagifulis: Martiales IX 2553 (enumerati inter ordines populi: decuriones, Augustales, Martiales, plebs).

Luceriae: Apollinares IX 814—817.

Rudiis Mercuriales IX 23 (enumerati inter ordines populi: decuriones, Augustales, Mercuriales, populus).

Caiatiae: magister Mercurialis X 4589. *4591.

Grumenti: Augustalis Mercurialis X 205. 232. Aug. Herculanius X 230. 231.

Nolae: magister Mercurialis et Augustalis = X 1272.

Abellini: magister Mercurialis X 1152 (ing.), Mercuriales = X 1153 (ing.). 1154 (lib.).

Zamae Regia.: Cereales eph. ep. V 583. 587 Illic commemoratur sacerdos Cerealium, ubi editor adnotat: „Cereales .... inveniuntur cum decurionibus similiter coniuncti atque extra Africam saepissime Augustales vel nonnunquam fabri vel corporati alii. Videntur igitur eiusmodi collegia in Africa constituta esse permissu senatus. Quocum bene convenit, quod hic sacerdos et n. 587 patronus eorum commemoratur."

Bisicae: Cereales eph. ep. V 1220. 1264.

Quibus fortasse addendi sunt tituli sevirum Victoriae X 5199. 5416. Hos autem ordines eundem in municipiis locum obtinuisse atque Augustales vel inde apparet, quod inter ordines publicos iuxta Augustales enumerantur; cfr. praeterea, quae de Apollinaribus Mutinensibus supra dicta sunt. Cur vero eos ordines ita appellatos esse censemus nisi propter cultum eius dei, quem maxime venerabantur? Istis autem ordinibus, ut ex nomine apparet, Augustales utique conferendi sunt, ut eos ipsos quoque, quia cultus munus eorum primarium erat, ita appellatos esse statuam. Atque iam confer, quae Mommsenus de muneribus ac condicione publica Augustalium docuit: nonne meo iure istos quoque, quos supra enumeravi, ordines similia munera curasse statuo? At si similia munera gesserunt, non intellego, cur tam diverse appellati sint, ut in eodem oppido et Augustales et Mercuriales similesve essent. Haec diversitas nominum quid sibi velit, non intellego nisi cultus eius, a quo nomen traxerunt, dei munus eorum primarium erat.

Ceterum Mommsenus ne unum quidem exemplum

collegiorum seu ordinum publicorum similiter appellatorum protulit, qui ad curanda alia munera publica quam cultum eius, a cuius nomine appellati essent, dei instituti essent. Nam quod St. III. 453 adn. 3 obiecit maximo detrimento fuisse in quaerenda natura atque origine Augustalitatis, quod cultus imperatorius, qui quidem ad plebem pertinuisset, cum propriis eius instituti muneribus falso coniunctus esset, mihi non sufficere videtur ad explicanda nomina sexvirum Augustalium seu Augustalium nude dictorum, qui sevirum similia munera curabant. Nam si seviri seu Augustales cum cultu imperatorio non artius cohaerebant quam reliqua plebs omniaque corpora dies festos in honorem Augustorum publice institutos celebrabant, mirum est hoc ipsum institutum nihil nisi civile, ut Mommsenus opinatur, a cultu domus divinae nomen traxisse [1].

Prorsus vero nulla ratio habenda est in hac quaestione diudicanda collegiorum funeraticiorum, a quibus profectus Madwigius collegiis a dei cuiusdam nomine appellatis ullam rem cum cultu fuisse negat [2], cui plane adsentitur Herbstius l. l. (p. 2.) qui in disertatiuncula de sacerdotiis Romanorum municipalibus scripta neque similes ordines neque Augustales ullo loco commemorat praeter ea, quae de seviris s(acris) f(aciundis) Mevaniae falsa protulit. His collegiis privatis Madwigius non solum Augustales municipiorum, verum etiam Capitolinos et Mercuriales, qui Romae erant, aequiperavit (p. 129. 135). Sed nihil certius est quam Capitolinos et

---

[1] Cfr. e. g. acta fratrum Arvalium. Sueton. div. Aug. c. 27: „Equites Romani natalem eius sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.“ titulus stationis naviculariae, quae erat Puteolis C. I Gr. 5853, *Berichte der sächs. Gesellschaft* 1850, p. 57: *τὰ γὰρ ἕτερα ἀναλώματα καὶ τὰ γενόμενα εἰς ἐπισκευὴν τῆς στατίωνος εἰς τὰς ἱερὰς ἡμέρας συνπεσούσης* (Momms. *συνπεσοῦσαν*) *ἑαυτοῖς ἐλογισάμεθα, ἵνα μὴ τὴν πόλιν βαρῶμεν.* Liebenam: *Zur Geschichte der Organisation des römischen Vereinswesens* p. 261.

[2] Cfr. vol. II. p. 135 adn. *: *In der Darstellung der römischen Collegien hat in der neuesten Zeit eine übertriebene Bestrebung ihnen eine religiöse Bedeutung zu geben und sie in enge Verbindung mit dem Priesterwesen zu setzen, das Einfache und Natürliche zurückgedrängt,* p. 140: *Dabei muss man sich wohl hüten in der Benennung nach einem Gott etwas besonders Religiöses oder Priesterliches zu sehen.*

Mercuriales ad curandum cultum templorum institutos esse (cfr. St. II² p. 121), quam ob rem Mommsenus eos cum montanis et paganis, qui et ipsi nisi sacrorum causa non erant, sagaciter coniunxit cfr. C. I p. 206. Si vero constaret, id quod adhuc probatum non est, eos arcam propriam habuisse ex eaque pecuniam in alios usus, velut in funera sociorum, erogasse, hoc nihil valeret contra opinionem nostram, si quidem ea ad munera eorum primaria, quorum causa instituti erant, facile accedere potuerunt.[1] Haec autem munera publica, ut ita dicam, in quaerenda natura atque origine illorum collegiorum sola respicienda sunt. Hoc cum de Capitolinis et Mercurialibus, qui Romae erant, constet, nonne Herculanios, Apollinares, Concordiales similesque, qui in municipiis erant, publice ad cultum illorum templorum curandum institutos esse veri simile est, praesertim cum munera publica eos curasse ex aliis indiciis collegerimus? Collegia autem religiosa eos fuisse iudicant praeter alios Marquardt Staatsverw. III. 224 adn. 5 et Forcellini Onomasticon s. v. Apollinares et Concordiales et Roscher: Handbuch der griech. und römischen Mythologie p. 922 s. v. Concordia et Rein: Paulys Realencyclopädie s. v. Apollinares Praeterea cum Maquardtius collegia a dei cuiusdam nomine appellata cum cultu quodammodo cohaesisse vel potius ex collegiis sacrorum causa institutis orta esse probaverit (Staatsverw. III 142), Mommsenus id ipse concedere videtur St. I³ p. 341: *Die eigentlichen zunächst sacralen Collegien, die in Rom . . . . . fast nur in den untersten Schichten als Todtengilden vorkamen.* Quae res utcunque se habet, hoc tenendum est id quod de collegiis privatis fieri potuit ut cultus munus secundarium haberetur, non temere ad collegia publice instituta transferendum esse, ut iam Marquardtius collegia privata a collegiis publicorum sacrorum causa institutis secernenda esse iudicavit.[2]

Praeter alia, quae iam attuli ad sevirum Augustalium-

---

[1] Cfr. V 4428: VI Aug. socii, quibus ex permissu divi Pii arcam habere permissum.

[2] *Staatsverw.* III 138.

que munera sacerdotalia probanda, hoc loco silentio praetereundum non esse puto testamentum Petelini cuiusdam, X 114, e quo iam Zumptius Prellerque (Römische Mythologie II 546 adn. 3) cultum imperatorium Augustalium munus primarium fuisse collegerunt. M. Meconius, qui iam vivus Augustalibus patriae suae ita consuluerat, ut tric linia eorum duo suppelectile ornaret, eosdem testamento suo donavit. Legavit enim eis primum HS milia decem, quae cum usura semissi efficerent sescenos sestertios, ex hac pecunia primum addi vult instrumento triclinorum candelabra et lucernas, tum si hoc factum est, conservari reliquum instrumentum. Praeterea legat Augustalibus vineam Caedicanam i. e. in campo Caedicio, qui est circa viam Appiam, sitam et partem fundi Pompeiani, qua locata sumptum, quo opus sit ad vineam colendam, effici vult, atque vino, quod redeat e vinea Caediciana, uti iubet Augustales in epulis publicis: „quam vineam vobis Augustalibus idcirco dari volo, — quae est Aminea, — ut, si cogitationi meae, qua prospexisse me utilitatibus vestris credo, consenseritis, vinum usibus vestris dumtaxat quum epulas publice exercebitis, habere possitis." Publicas igitur epulas habere hoc titulo munus quoddam Augustalium fuisse significatur (cfr. verba priora: „quo facilius statis diebus epulas subire possint"), quae ne confundantur cum sportulis vel cenis supra commemoratis, quae ab magistratibus sacerdotibusque ob honorem vel pro introitu dari solebant; nam hae semel ac plerumque in adeundo honore praestari solebant, cum illae compluries quotannis, puta diebus festis in honorem Augustorum institutis („statis diebus"), factae esse videantur. Quam ob rem has epulas cum epulis, quas alibi quoque cum sacris coniunctas fuisse videmus[1], rectius mihi comparare videor quam cum sportulis seu cenis ob honorem datis.

Aliis igitur ex indiciis cum collegerimus seviros Augustales domus divinae colendae causa institutos esse, iam recte mihi statuere videor „tres illos equites Romanos a plebe et tres libertinos", qui in ara Narbonensi commemorantur[2], a seviris Augustalibus diversos non fuisse. Nam

[1] Goth. ad C. Theod. XVI 10, 117 Z. p. 38.
[2] XII 433.

quod Mommsenus obiecit illos sex e plebe electos esse, cum seviratus ad libertinos solos pertineret, iam supra monui ita inter seviros Augustales libertinos et ingenuos mixtos esse, ut libertinorum solorum gratia seviratus institutus esse nequeat. Neque mirum est libertinos plerosque in seviris inveniri; nam libertini cum nullum alium honorem municipalem gerere possent, hunc potissimum appetebant, cum ingenui, qui opibus satis florerent, ut honores municipales suscipere possent, alios honores adipisci studerent. Qua propter si libertini plerique in iis inveniuntur, non ad libertinos solos, sed ad plebem universam id institutum pertinuisse colligendum est, praesertim cum in aliis quoque honoribus, quorum aditus et ingenuis et libertinis patebat, illos pauciores, hos plures fuisse inveniamus. E. g. inter vicimagistros, quos e pelebe electos esse et Dio [1] et Suetonius [2] diserte testantur, prope omnes libertinos, perpaucos ingenuos fuisse iam Zumptius animadvertit p. 10. Similiter non desunt ingenui inter apparitores [3] et ordines similes Augustalibus, qui in municipiis sunt. Ceterum ingenuos non posterioribus, sed maxime antiquissimis eius instituti temporibus inveniri ex exemplis supra collectis apparet.

Neque tantum quantum Mommsenus pari numero ingenuorum et libertinorum in ara Narbonensi commemoratorum tribuam; nam similiter in titulo, qui exhibetur eph. ep. IV 76, tres ingenui et tres libertini magistri Mercuriales iuxta enumerantur, neque quisquam utrumque ordinem ibi pari numero hominum repraesentatum esse ex eo titulo colliget, cfr. Haugium in Bursians Jahresbericht 1880 p. 141.

Ac ne Narbone quidem semper dein ea lex et ratio obtinuisse videtur, ut par numerus ingenuorum et libertinorum inter seviros Augustales esset. Nam praeter sex illos, qui in ara Narbonensi commemorantur, omnes seviri Augustales, qui adhuc prodierunt, libertini sunt, quos nihilo minus eadem munera curasse atque sex illos Hirschfeldio

---

[1] 55, 8: *ἐκ τοῦ δήμου.*

[2] Aug. c. 30: magistri e plebe cuiusque viciniae lecti.

[3] *St.* I³ 342.

aliisque concedimus; neque enim ullus titulus inventus est quo aliud genus magistratuum seu sacerdotum indicaretur, qui sacra illa „in perpetuum" instituta curassent, ac, cur non semper par numerus ingenuorum et libertinorum fuerit, ea, quam supra exposui, causa facile explicatur. An quoniam seviros quoque Augustales cultui imperatorio sacratos fuisse aliis argumentis adhibitis demonstravimus, praeter sex illos ingenuos et libertinos, a quibus plebem repraesentari Mommsenus iudicat, libertinos sex institutos esse veri simile est, qui pro hoc genere hominum immolarent? In universum igitur cum omnia, quae de sex illis a. p. Chr. 11 ad colendam domum divinam Narbone institutis in ara illa tradita sunt, magnopere congruant, cum iis quae de sevirum Augustalium muneribus ac condicione publica aliunde collegimus, facere non possumus, quin sex illos ab seviris Augustalibus, qui alibi appellantur, diversos non fuisse statuamus. Non omittam hoc loco commemorare in calendario Cumano, quod Mommsenus una cum commentario et supplementis edidit in Hermae volumine XVII p. 631 sqq., similiter atque in ara Narbonensi die natali Augusti immolationem et supplicationem, ceteris diebus festis in honorem Augusti institutis supplicationes tantum praescribi; quorum sacrificiorum num Augustalibus, qui Cumis erant, qua pars fuerit necne, quamquam traditum non est, tamen propter similitudinem arae Narbonensis eos eadem fere munera curasse suspicari licet. Ceterum ad illustrandam rationem, qua in municipiis dies festi in honorem Augusti instituti celebrati sint, praeter titulum arae Narbonensis solum calendarium Cumanum exiguam memoriam exhibet, nec non titulus Fori Clodii XI 3303, quorum neutro sacerdotes, qui cultum imperatorium curaverint, indicantur; quapropter de eiusmodi rebus vix quicquam suspicari licet. Neque vero est, cur Mommseno assentiamur, qui[2] cultum imperatorium libertinis permitti non potuisse obiecit, sed solis ingenuis, e quibus ad eum curan-

---

[1] *St.* III 453 adn. 3: *Die drei Libertinen (Vertreter) der gewesenen Unfreien, welche letztere ausschliesslich in den Sevirn ihren Ausdruck finden.*

[2] *Arch. Z.* p. 74.

quod Mommsenus obiecit illos sex e plebe electos esse, cum seviratus ad libertinos solos pertineret, iam supra monui ita inter seviros Augustales libertinos et ingenuos mixtos esse, ut libertinorum solorum gratia seviratus institutus esse nequeat. Neque mirum est libertinos plerosque in seviris inveniri; nam libertini cum nullum alium honorem municipalem gerere possent, hunc potissimum appetebant, cum ingenui, qui opibus satis florerent, ut honores municipales suscipere possent, alios honores adipisci studerent. Qua propter si libertini plerique in iis inveniuntur, non ad libertinos solos, sed ad plebem universam id institutum pertinuisse colligendum est, praesertim cum in aliis quoque honoribus, quorum aditus et ingenuis et libertinis patebat, illos pauciores, hos plures fuisse inveniamus. E. g. inter vicimagistros, quos e pelebe electos esse et Dio [1] et Suetonius [2] diserte testantur, prope omnes libertinos, perpaucos ingenuos fuisse iam Zumptius animadvertit p. 10. Similiter non desunt ingenui inter apparitores [3] et ordines similes Augustalibus, qui in municipiis sunt. Ceterum ingenuos non posterioribus, sed maxime antiquissimis eius instituti temporibus inveniri ex exemplis supra collectis apparet.

Neque tantum quantum Mommsenus pari numero ingenuorum et libertinorum in ara Narbonensi commemoratorum tribuam; nam similiter in titulo, qui exhibetur eph. ep. IV 76, tres ingenui et tres libertini magistri Mercuriales iuxta enumerantur, neque quisquam utrumque ordinem ibi pari numero hominum repraesentatum esse ex eo titulo colliget, cfr. Haugium in Bursians Jahresbericht 1880 p. 141.

Ac ne Narbone quidem semper dein ea lex et ratio obtinuisse videtur, ut par numerus ingenuorum et libertinorum inter seviros Augustales esset. Nam praeter sex illos, qui in ara Narbonensi commemorantur, omnes seviri Augustales, qui adhuc prodierunt, libertini sunt, quos nihilo minus eadem munera curasse atque sex illos Hirschfeldio

---

[1] 55, 8: ἐκ τοῦ δήμου.

[2] Aug. c. 30: magistri e **plebe** cuiusque viciniae lecti.

[3] *St.* I[3] 342.

aliisque concedimus; neque enim ullus titulus inventus est quo aliud genus magistratuum seu sacerdotum indicaretur, qui sacra illa „in perpetuum“ instituta curassent, ac, cur non semper par numerus ingenuorum et libertinorum fuerit, ea, quam supra exposui, causa facile explicatur. An quoniam seviros quoque Augustales cultui imperatorio sacratos fuisse aliis argumentis adhibitis demonstravimus, praeter sex illos ingenuos et libertinos, a quibus plebem repraesentari Mommsenus iudicat, libertinos sex institutos esse veri simile est, qui pro hoc genere hominum immolarent? In universum igitur cum omnia, quae de sex illis a. p. Chr. 11 ad colendam domum divinam Narbone institutis in ara illa tradita sunt, magnopere congruant, cum iis quae de sevirum Augustalium muneribus ac condicione publica aliunde collegimus, facere non possumus, quin sex illos ab seviris Augustalibus, qui alibi appellantur, diversos non fuisse statuamus. Non omittam hoc loco commemorare in calendario Cumano, quod Mommsenus una cum commentario et supplementis edidit in Hermae volumine XVII p. 631 sqq., similiter atque in ara Narbonensi die natali Augusti immolationem et supplicationem, ceteris diebus festis in honorem Augusti institutis supplicationes tantum praescribi; quorum sacrificiorum num Augustalibus, qui Cumis erant, qua pars fuerit necne, quamquam traditum non est, tamen propter similitudinem arae Narbonensis eos eadem fere munera curasse suspicari licet. Ceterum ad illustrandam rationem, qua in municipiis dies festi in honorem Augusti instituti celebrati sint, praeter titulum arae Narbonensis solum calendarium Cumanum exiguam memoriam exhibet, nec non titulus Fori Clodii XI 3303, quorum neutro sacerdotes, qui cultum imperatorium curaverint, indicantur; quapropter de eiusmodi rebus vix quicquam suspicari licet. Neque vero est, cur Mommseno assentiamur, qui[2] cultum imperatorium libertinis permitti non potuisse obiecit, sed solis ingenuis, e quibus ad eum curan-

[1] *St.* III 453 adn. 3: *Die drei Libertinen (Vertreter) der gewesenen Unfreien, welche letztere ausschliesslich in den Sevirn ihren Ausdruck finden.*

[2] *Arch. Z.* p. 74.

dum flamines municipales electi essent. Neque enim negari potest Narbone re vera ad sacra illa curanda libertinos adhibitos esse, ac si in iisdem municipiis flamines quoque eidem cultui sacratos invenimus, haec res ex diversitate ordinum, e quibus ii sacerdotes eligebantur, facile explicatur.

Ac iam quaeritur, cui cultui seviri et Augustales dicati fuerint. Et quando ad instar sodalium Augustalium eos institutos esse homines docti credebant, cultum divorum eos curasse statuere consentaneum erat. Contra ii, qui originem eorum ad imitationem vicimagistrorum urbanorum revocabant, cultui Larum Augustorum eos destinatos fuisse credebant. Quam contra opinionem cum Henzenus obiecisset horum cultum in municipiis a magistris Augustalibus, qui numero quoque magistris vicorum urbanis pares erant, curatum esse eosque a seviris Augustalibus utique secernendos esse, praeter Huebnerum[1] omnes fere, quod videam, ei consenserunt, quamquam etiam sunt, qui nihilo minus imitationem quandam vicimagistrorum urbanorum statuentes seviros Augustales cultui Larum Augustorum dicatos fuisse existiment: Schiller Geschichte der röm. Kaiserzeit I 1, p. 245, 405. Röm. Staatsaltertümer Handbuch IV 2 p. 658. Desjardins revue de philologie 1878, p. 41. 42. Contra cultum vivorum imperatorum eos curasse cum ex ara Narbonensi tum ex titulo Hispano, in quo traditur sevir Augustorum (II 4300), satis dilucidum est et iam pridem Schmidtius idem docuit p. 65 adn. 1. Sed nihilo minus idem (p. 128) seviros Augustales vicimagistros urbanos imitatos esse censet et in fine dissertationis de seviris Augustalibus scriptae pronus est ad probandam sententiam eorum, qui sevirum Augustalium originem ad cultum Larum revocant, cum Eggerum laudet (p. 130), qui Graecas provincias propterea Augustalitatem amplexas non esse docuerit, quia eius primordia cum cultu Larum cohaesissent. Magnum vero eius rei testimonium eo contineri putat, quod ut alibi duo collegia et

---

[1] II p. 541: Sed etiam Augustalium ordo ut in aliis oppidis, ita Tarracone exstabat; nominantur seviri magistri Augustales, seviri Aug. mag. Larum aut seviri Augustales et magistri.

magistrorum vicorum et magistrorum Augustalium laudantur, quos utrosque vicimagistros urbanos imitatos esse constat, ita in titulo Spoletino (Or.-H. 7115) iuxta eos tertium collegium sevirum Augustalium invenitur, quod ut idem exemplum imitaretur, fieri potuisse censet p. 121 „Ut enim iuxta magistros Larum etiam vicimagistri ab eis diversi nonnunquam in eodem municipio inveniuntur, quod utrumque genus ab urbanorum vicimagistrorum imitatione repetendum esse apparet, nihil obstat, quominus etiam tertiam illorum imitationem exstitisse statuamus“. Sed praeter ea, quae supra attuli, iterum moneam nullum indicium in tota Augustalitate inveniri, e quo eam ad cultum Larum Augustorum spectasse appareat, sed homines doctos, qui tale aliquid statuerunt, ad eam opinionem adductos esse sola ea re, quod eam vicimagistrorum, qui in urbe erant, exemplum accurate expressisse existimabant. Quae res non parvi momenti esse videtur in quaerenda origine Augustalitatis; nam ut ii, qui in municipiis ad instar vicimagistrorum urbanorum instituti esse statuuntur, eundem quoque cultum curaverint, magnopere exspectamus. Id vero valet non de seviris, sed de magistris Augustalibus, qui etiam numero cum exemplo urbano, quod imitati sunt, consentiunt. Neque ei rei, quod interdum in eodem municipio duo collegia inveniuntur, quae idem exemplum urbanum imitata esse apertum est, tantum momenti tribuam, ut tertium quoque collegium exemplum vicimagistrorum imitari potuisse credam. Nam quamquam de his rebus priusquam fusius aliquis de vicimagistris egerit, nihil certi statui potest, tamen in universum Marquardtius atque Henzenus non falso mihi iudicasse videntur in iis opidis cultum Larum Augustorum vicimagistris mandatum non esse, sed ad eum curandum propria collegia magistrorum Augustalium instituta esse. Itaque haec propter cultum Larum, vicimagistri propter alia munera cum vicimagistris urbanis recte comparantur. Quae vero similitudo intercedit inter vicimagistros urbanos et seviros Augustales, qui non solum numero differebant, sed ne eundem quidem cultum curabant? Praeterquam quod eiusdem fere condicionis homines erant, nihil cum vicimagistris iis commune

est. Illam vero rem non sufficere puto ad imitationem alterius instituti probandam; nam in ea re e. g. etiam cum apparitoribus urbanis congruunt, neque cuiquam in mentem veniet de imitatione apparitorum cogitare. Nescio autem an similitudo illa, quae continetur pari condicione hominum istis honoribus fungentium, ad communem originem revocanda sit, si quidem utrumque institutum ad plebem pertinebat, qua de re conferas locos de vicimagistris supra allatos (p. 40) cum titulo XII 4333: „tres equites Romanos a *plebe* et tres libertinos.“ Alia vero res est, si quis quaerit, num ultro municipes animum inducturi fuerint ex infimo genere hominum sacerdotes cultui imperatori destinatos legere, nisi Augustus vicimagistris ab ipso restitutis cultum Larum suorum commisisset. Haec ratio si re vera habita est, nequaquam de imitatione cogitandum esse puto, quae si statuitur, ut id institutum ad instar alterius excultum sit et ad eadem munera pertinuerit, magnopere expectamus; atque eo minus imitationem vicimagistrorum statuere audeo, quod re vera alia instituta municipalia vicimagistrorum exemplum imitata esse videmus. Num vero illa ratio habita sit e. g. in instituendis seviris, qui in ara Narbonensi commemorantur, incertum est, si quidem ut in cultu imperatorio, qui quidem publicus esset[1] municipia provinciasque Urbem praecurrisse constat, ita fieri quoque potuit, ut municipes praeter flamonium amplissimo ordini reservatum sacerdotium quoque hominum e plebe electorum instituerent. Quae rei ratio ut necessariis argumentis probari nequit, ita ne sufficere quidem illam puto ad imitationem vicimagistrorum probandam.

Praeter munera in quaerenda origine Augustalitatis maxime ab iis, qui ad exemplum sevirum equitum Romanorum seviros Augustales institutos esse censent, numeri senorum quotanis eo honore fungentium ratio habita et ad probandam imitationem in medium prolata est cfr. Zumpt p. 55: *„Ii primum quaeritur ad quem honorem rei publicae Romanae a municipiis expressi sint. . . . Iam autem per totam rem*

[1] Cfr. Mommsenum Hermes XVII 642 adn. 2.

publicam Romanam nulli sunt seviri praeter eos, qui appellantur seviri equitum Romanorum.“ Sed cum munera sevirum Augustalium a muneribus sevirum equitum Romanorum prorsus diversa consiliumque secundi ordinis in municipiis efficiendi primitus non fuisse cognoverimus, ex ea re de similitudine seu imitatione nihil colligendum est. An quisquam defendet sex illos, qui in ara Narbonensi colonis et incolis thus et vinum ad supplicandum praebere iubentur, ad similitudinem sevirum equitum Romanorum institutos esse? cfr. Borghesium bull. 1842 p. 100: *In ogni caso non sapremmo vedere qual relazione potesse esistere fra una instituzione che teneva dal militare e un altra in origine tutta sacerdotale.* Et cum nullum exemplum magistratuum seu sacerdotum Romanorum senorum una fungentium inveniri possit, quod seviros Augustales imitatos esse probari possit[1], nescio an numeri illius in quaerenda natura atque origine huius instituti nulla ratio habenda sit. Satis est observare hoc loco etiam alioquin sex una eodem honore fungentes apud Romanos inveniri, quorum pauca exempla praebet Henzenus Z. f. A. 1848 p. 294, quibus addendi sunt sex magistri Capuani, qui Jovi Libero aliquod dedicant (I. N. 3568; Hirschfeld Z. f. öst. Gymnas. 1878 p. 292. adn 2) et sex magistr. (Mercuriales ?), titulorum qui eph. IV 76 et 86 exhibentur (cfr. Haugium in Bursiani annalibus 1880 p. 142).

Cum igitur Augustalitatem ad cultum Augusti curandum eo etiamtum vivo institutam esse cognoverimus itaque eius origo revocanda sit ad rem, in qua municipia Urbem praecurrebant, mea quidem sententia non anxie quaerendum est, quod urbanum exemplum seviri Augustales imitati sint, praesertim cum accurate certe nullum urbanum exemplum eos imitatos esse constet. Ceterum quod Mommsenus obiecit maximo detrimento fuisse in quaerenda natura Augustalitatis, quod cultus imperatorius cum propriis eius instituti muneribus falso coniunctus esset, ego quidem eo peccatum

---

[1] *Sch.* p. 43: et quod urbani exemplum certe accuratius non imitaretur.

esse puto, quod similitudo, quae in universum inter res municipales et urbanas intercedit[1], nimis late patere putabatur. Qua vero alia in re municipiorum propria ac prorsus singularia instituta excoli potuerunt nisi in cultu imperatorio, quem non Romae, sed in Italia atque provinciis ortum varieque excultum esse constat?

Sacerdotalia igitur munera quae ad cultum domus divinae spectarent, seviri Augustales curabant; quae quibus potissimum e rebus constiterint, quamquam in universum accurate definiri nequit, tamen non errabimus, si omnibus locis ea similia fuisse statuemus iis, quae in ara Narbonensi traduntur. Ludos autem quos Marquardtius[2] ipsos quoque ad cultum Augustorum pertinuisse iudicaverat, ut e sevirum Augustalium propriis muneribus excipiendos esse cognovimus, ita non Augustorum colendorum causa ab iis editos esse censeo. Nam cum Mommsenum secuti[3] ludos publicos *(„Volksfeste")* a ludis ad cultum dei cuiusdam spectantibus *(„Ritualspielen")* secernamus, ludos a seviris Augustalibus editos priori generi adnumerandos esse vel ex ratione inter eos summamque honorariam intercedente cognosci potest. Et convenit cum iis, quae modo dixi, quod Puteolis (X 1574 a. 56 p. Chr.) ludi ab Augustalibus non die festo in honorem principis instituto, sed die natali coloniae editi esse videntur cfr. Zumpt p. 39.

Sed quamquam sacerdotalia munera seviri Augustales curabant, tamen fieri potuit, ut non sacerdotes, sed magistratus essent, ut Mommsenus quasi magisratus eos fuisse iudicavit atque, etiamsi sacerdotalia munera eos curasse probaretur, huic rei nullum momentum tribuendum esse

---

[1] Gellius 16, 13: propter amplitudinem maiestatemque populi Romani, cuius istae coloniae quasi effigies parvae simulacraque esse quaedam videntur. Cfr. praeter Zumptium p. 55 et 61 maxime Mommsenum *St.* III 802: *Dass die italische Stadt nichts ist als der römische Staat im Kleinen, tritt vielleicht nirgends so scharf uns entgegen wie bei der Ordnung des zweiten Standes durch Augustus; wie in die Staatsordnung die Ritterschaft, führte er in die italischen Municipien ihr Abbild ein, den Sexvirat.*

[2] *Z. f. A.* 1847 p. 501.

[3] *St.* I[3] 409 adn. 6; II[2] p. 126 cfr. *Marq. Staatsverw.* III 485, 486.

putavit, quia magistratus, quibus nullà potestas esset, sacerdotibus eo similes essent, quod nisi sacrorum causa non essent[1]; quin etiam in retractatione eius rei cum magistratibus Albae et Lavinii eos comparat. Quam ad opinionem maxime eo adducebatur, quod cum *„viri"* appellarentur, hanc appellationem multo aptiorem esse putabat ad magistratus quam ad sacerdotes municipales significandos, quia sacerdotes similiter appellati in municipiis nulli deprehenderentur. Ista autem significatione nihil nisi numerum una eodem honore fungentium indicari iam supra exposui, atque praeterea inveniuntur municipales VI viri sacris faciundis (Or. 3998. 3999), qui sive eosdem atque seviros Augustales sive diversos fuisse iudicas, cum quindecimviris sacris faciundis, qui Romae erant, utique comparandi sunt. Ceterum quoniam certi dei cultui seviros Augustales destinatos fuisse probavimus, inter magistratus, qui carentes omni potestate ad sacra tantum erant (St. III 580), nequaquam enumerandi sunt, namque ii magistratus, cum antea plena potestate essent, dempta ea ad sacra tantum erant (cfr. Liv. 9, 43: *Anagninis civitas sine suffragii latione data, concilia connubiaque adempta et magistratibus praeterquam sacrorum curatione interdictum;* eph. III p. 326: *non recte compararetur dictator Albanus praetorque Lavinas, ne Etruriae quidem praetor aedilisque; hi enim reliqui sunt ex re publica ita a Romanis sublata, ut magistratus ad sacra tantummodo manerent),* cum seviri Augustales tum instituerentur non ad sacra publica pro omnibus municipibus seu parte municipium (e. g. libertinis) facienda, sed ad cultum imperatorium curandum. Ceterum quod Mommsenus quasi magistratus, ut ita dicam, eos fuisse censet, inde pendet, quod inde ab initio ad repraesentandum ordinem libertinorum eos institutos esse iudicat[2].

Non supervacaneum videtur hoc loco diligentius inquirere in ea, quae Mommsenus iis obiecit, qui seviros Au-

[1] *Arch. Zeit.* 1878 p. 75.

[2] *St.* III 453 adn. 3: *Die drei Libertinen die (Vertreter) der gewesenen Unfreien, welche letztere ausschliesslich in den Seviren ihren Ausdruck fanden.*

gustales sacerdotes fuisse iudicaverunt. (St. III 455 adn. 5). Ac primum quidem in eo offendit, quod seviratus honos appellatur, quo vocabulo non sacerdotia, sed magistratus solos significari St. I 8 maximeque adn. 5 exposuit. At certe aetate imperatoria eius verbi usum latius patuisse, ut de sacerdotiis quoque usurparetur, probare mihi posse videor. Ac primum quidem Callistratus (Dig. 50, 4, 14) inter munera et honores ita distinguit: „honor municipalis est administratio rei publicae cum dignitatis gradu sive cum sumptu sive erogatione contingens; munus aut publicum aut privatum est. Publicum munus est, quod in administranda re publica sine titulo dignitatis subimus.“ Similiter non solum in titulis (XIV 2888: omnibus honoribus curis muneribus functus), sed etiam multis iuris consultorum locis munera et honores inter se opponuntur, ut e. g. totus titulus quartus libi quinquagesimi Digestorum est: „de muneribus et honoribus.“ cfr. Dig. 50, 4, 3 § 2, 3, 8, 15; 50, 4, 4 § 1, 3, 10; 50, 4, 14 § 3; 50, 4, 17 pr. C. J. 9, 2, 1 et 10, 4, 3, 3[1] maximeque Dig. 50, 4, 4 § 10 (Modestinus): „Honorem sustinenti munus imponi non potest, munus sustinenti honor deferri potest.“ Qua ex oppositione vocabulo honoris non magistratus solos significari, sed sacerdotia magistratusque una comprehendi satis apparet. Quae opinio confirmatur eo, quod interdum „magistratus“ et „honor“ ita iuxta ponuntur, ut totum parti adiungatur („*und überhaupt*“), unde intellegimus notionem verbi honoris latius patuisse quam ad magistratus solos significandos: Sueton. Aug. c. 26: magistratus atque honores; Dio 44, 7: καὶ τιμῶν καὶ ἀρχῶν ἠξίωσε. Gaius I 96: „Aut maius est Latium aut minus: maius est Latium, cum et hi, qui decuriones leguntur, et ei, qui honorem aliquem aut magistratum gerunt, civitatem Romanam consecuntur; minus Latium est, cum hi tantum, qui magistratum vel honorem gerunt, ad civitatem Romanam perveniunt; idque compluribus epistulis principum significatur“. Dig. 50, 12, 11: (Ulpianus): „Si quis ob honorem vel sacerdotium pecuniam promiserit

[1] adde: C. J. X 39, 3. 40, 1. 43, 2. 54, 3. Dig. 50, 5, 2 § 1. 50, 5, 8 § 5.

et antequam honorem vel magistratum ineat, decedet, non oportere heredes eius conveniri in pecuniam, quam is ob honorem vel magistratum promiserat, principalibus constitutionibus cavetur, nisi forte ab eo vel ab ipsa re publica eo vivo opus fuerit inchoatum." Quid? quod interdum vocabulum honoris pro sacerdotio positum esse videmus, id quod maxime apparet, si cum Ulpiani loco supra laudato conferimus hunc Modestini locum (Dig. 48, 14 l. un. § 1.): „Haec lex (sc. de ambitione) in urbe hodie cessat, quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem; quodsi in municipio contra hanc legem magistratum aut sacerdotium quis petierit, per senatusconsultum centum aureis cum infamia punitur". Non quo vocabulo honoris sola sacerdotia significari putem, sed ex his locis, si vocabulum honoris iuxta „magistratum" ponitur, praeter magistratus sacerdotia subintellegenda esse recte mihi colligere videor. Ab eiusmodi locis profectus iam Kuhnius[1] sacerdotia in numero honorum habere non dubitavit eique assentimur, praesertim cum passim in titulis *„ob honorem sacerdotii, ob honorem flamonii"* similesque formulae inveniantur, quae accuratissime respondent verbis: ob honorem seviratus, ob honorem Augustalitatis. Quas formulas ut Mommsenum non effugisse persuasum habeo, ita cum ea, quae supra protuli, de usu verbi honoris statueret, aliam quandam rem mihi in animo habuisse videtur. Nam, ut non respiciam locos e iuris consultorum libris petitos ad usum verbi honoris illustrandum, in iis titulis, quos iam perstrinxi, semper vocabulo honoris secundo casu nomen sacerdotii additum est; quaeritur autem, num quod sacerdotium, si id non fit, vocabulo honoris indicari possit, ut. e. g. de seviratu in titulo Veienti id usurpatum invenimus XI 3805: „. . . ut Augustalium numero habeatur aeque ac si eo honore usus sit." Neque vero huius usus exempla desunt. cf. Dig. 50, 5, 8: „In honoribus delatis neque maior annis septuaginta neque pater numero quinque liberorum excusatur. Sed in Asia sacerdotium provinciae suscipere non

[1] I 36.

coguntur numero liberorum quinque subnixi."[1] Atque simillimus illi titulo Veienti est titulus Africanus editus eph. VII 707 (a. 108—110): „C. Otidio P. f. Quir. Jovino praefecto fabrum sacerdoti provinc. Afric. anni XXXVIIII, qui primus ex colonia sua hunc honorem gessit."

In vocabulo honoris de sacerdotiis usurpato cum offendendum non esse probaverimus, aliquid nos conlaturos esse spero ad explicandum illum locum difficillimum Gaii I 96, quem supra transcripsi. Quo loco distinguuntur ii decuriones, qui honoribus gestis in curiam pervenerunt, ab iis, qui nullo honore gesto inter decuriones adlecti sunt. Quaeritur autem, qui honores a Gaio indicentur. Atque cum Marquardtius[2] et Hirschfeldius[3] vocabulo honoris nihil nisi magistratus significari putassent, Mommseno ea interpraetatio displicuit, quod hic duobus verbis eandem rem significari veri dissimillimum esset[4], qua in re ei consentiendum esse patet, quamquam non probamus, quod idem statuit, sacerdotiorum in hac quaestione diudicanda rationem habendam non esse, cum respiciamus simillimos locos supra allatos, quibus vocabulum honoris paene locum vocis „*sacerdotii*" obtinuisse videatur. Accedit, quod habemus disertum testimonium, e quo qui sacerdotium provinciae gesserant, propter eum honorem decuriones patriae suae factos esse apparet. Namque in titulo XII 6038 ius sententiae dicendae in sua cuique curia flamini provinciae Galliae Narbonensis tribuitur:

XII 6038 [Si quis flamen fuerit] . . . . . . in curia sua et concilio Narbonesi inter sui ordinis secundum l. . . . sententiae dicendae signandique ius esto." cfr. Hirschfeldium Sitzungsber. p. 859. Quod cum ita sit, Gaium praeter magistratus municipales alios honores, qui magistratus non essent, velut sacerdotium provinciae[5], in animo habuisse

---

[1] Cfr. Kuhn I p. 107: . . . . in A s i a s a c e r d o t i u m p r o v i n c i a e, *welches namentlich als* h o n o r *bezeichnet wird.*

[2] *Staatsverw.* I 57 adn. 8.

[3] *Zur Geschichte des latin. Rechtes* p. 2.

[4] *St.* I 8 adn. 5.

[5] Eodem pertinent flamines perpetui Africani.

veri simile est. Simul autem ex titulo, quem modo laudavi, colligitur falsam esse Huebneri opinionem, qui II p. 541 sacerdotes seu flamines provinciarum factos non esse statuerit nisi qui summos honores municipales gessissent aut equo publico donati essent, atque ubi neutrum indicaretur, nec honores municipales nec munera militaria seu equus publicus[1], ibi aut brevitati consultum esse videri aut modestiae. Confer praeterea Marquardtium eph. I p. 213, Staatsverw. I p. 504 adn. 8, qui Huebnero adsentitur. Nam e. g. si opus erat eos, qui provinciarum sacerdotes seu flamines eligerentur, honoribus municipalibus iam functos esse itaque decuriones erant, quid sibi vult lex, qua iis ius in curia patriae suae sententiae dicendae ac suffragii ferendi (cfr. Mommsenum ad XII 6038 l. 15 de usu verbi signandi) post eum honorem diserte conceditur? Ac praeter exempla ab Huebnero allata, in quibus praeter flamonium provinciae nulli honores municipales commemorantur, etiam tituli proferri possunt eorum, quos ante sacerdotium provinciae domi honoribus functos esse ne veri simile quidem sit; e. g. apud Boissievium (*Incriptions antiques de Lyon* p. 91. 92) duos titulos eiusdem hominis invenies, qui se duo et viginti annos natum sacerdotium provinciae obtinuisse gloriatur, quem cur antea honoribus municipalibus functum esse aut equo publico donatum esse statuamus, non est, p. 91:

„Q. Licinius Ven(ator), Licini Taurici fil., qui sacerdotium apud aram duo et viginti annos natus obtinuit.“ B. p. 92:

„(Q. Licinio Venat)ori Licini (Taurici fil. qui duo et vi)ginti anno(s natus creatu)s sacerdos est.“ Certe inde quod plerumque ii, qui honoribus municipalibus functi seu dignitatis equestris erant, sacerdotes provinciarum creabantur, cuius rei causa facile intelligitur, temerarium est colligere in iis titulis, in quibus illi honores non commemorantur, id brevitati seu modestiae tribuendum esse. Loci autem, quos attulit Marquardtius ad Huebneri sententiam confirmandam[2],

---

[1] II 4193. 4214. 4220. 4222. 4228. 4235. 4243. 4250. 4255 = Tarraco.

[2] C. Theod. 12, 1, 77 et 148, Pauli sent. 5, 30a.

si quidem ad posteriorem aetatem spectant, qua praeter decuriones nemo fere ad honores municipales adhibebatur, hoc loco respiciendi non sunt. Sed haec quidem hactenus.

Similiter se res habet de altero illo, quod Mommsenus obiecit, nusquam seviros magistros appellatos esse St. III 455 adn. 5, quocum conferas ea, quae aliis locis de usu verbi magistri docuit: St. I p. 8 maximeque adn. 2, III p. VIII adn. 1, III 117. 120. Qua in quaestione diudicanda proficiscendum esse puto a loco Pauli, qui exhibetur Dig. 50, 16 (de significatione verborum), 57: „Quibus praecipua cura rerum incumbit et qui magis quam ceteri diligentiam et sollicitudinem rebus, quibus praesunt, debent, hi magistri appellantur.“ Qua in definitione nullum indicium invenio, e quo nomine magistri sacerdotalia munera indicari eluceat. Hoc tamen ex ea colligendum est, ubicunque de magistris sermo sit, collegium seu societatem seu universitatem quandam esse vel subintelligi, cui praesint magistri, unde quam facile id verbum in eam notionem transierit, qua etiam de praepositis rerum usurpatur (magistri fontium), facile intellegitur. Eius modi societates si plerumque ut pagi fratresque Arvales nisi sacrorum causa non erant itaque magistris praeter sacra quaedam vix ulla munera curanda erant, sacerdotalia eorum munera facile explicantur ex natura collegii seu societatis, cui praeerant; neque vero ex his exemplis quicquam in universum de natura magistrorum, si qui appellantur, colligendum est. Nomine magistri igitur nihil indicatur nisi eum, cui id nomen inditum est, collegio seu societati cuidam praefuisse atque, id quod fieri solebat, omnia communia negotia administrasse. E. g. decreta pagorum commemorantur, unde concilia quaedam seu conventus pagorum fuisse colligendum est. His autem, id quod consentaneum est, magistri pagorum praeerant, non quia sacerdotes, sed quia praefecti pagorum erant. Ubicunque autem istis societatibus civilia munera iniuncta erant, eorum curam magistris potissimum mandatam esse videmus, ut magistros vicorum varia civilia munera e. g. curam incendiorum[1] curasse traditum est. Quod cum factum sit, per-

[1] *St.* I 328 adn. 5.

suadere mihi non possum magistros vicorum nihil nisi sacerdotes fuisse, si quidem, quomodo sacerdotibus Romanis civilia munera iniungi potuerint, difficile intellegitur. Accedit, quod Livius 34, 7 eos non sacerdotes, sed magistratus appellat.[1] Quam ob rem si quod sacerdotum genus nomine magistrorum non appellatur, non est, cur offendamus. Quid? quod ex iis, quae iam exposui, apparet, cur seviri Augustales magistri appellati non sint. Nam, ut supra observavi, quotiens magistri appellantur, collegium seu societas quaedam subintellegitur, quae plerumque secundo casu addi solet, ut habemus magistros pagorum, vicorum similesque. Neque obstant magistri Augustales municipiorum, quos collegio cultui Larum Augustorum sacrato praefuisse veri simile non est; namque eorum nomen exemplo urbano, quod imitati sunt, satis explicatur. Contra ut in ara Narbonensi originem et principia cultus imperatorii, quem seviri Augustales curabant, cognovimus, inde ab initio ordinem seu collegium, cui illi praeessent, institutum non esse apparet itaque vereor, ne significatio magistrorum idonea non fuerit. Ceterum cum ii, qui cultum Larum Augustorum curabant, magistri Augustales appellati sint, non intellego, qua ratione ii quoqe, qui vivorum imperatorum cultum curabant, eodem nomine appellari potuerint.

Neque plus momenti tribuo tertio illi, quod Mommsenus obiecit nusquam eos sacerdotes appellari; nam qui legitime seviri Augustales appellabantur, quomodo in titulis, in quibus sollemnia nomina usurpari solent, sacerdotum nomine significari potuerint, non intellego. Accedit, quod sacerdos semper unus cultui alicuius dei destinatus („*Einzelpriester*"), nusquam plures una fungentes appellantur, ut nonnullis locis sacerdotes Augusti seu sacerdotes Augustales flamines municipales, qui vocari solent, sollemniter significantur.

Ex iis igitur, qui annuo seviratus seu Augustalitatis honore functi erant, ordinem ea, quam Schmidtius[2] et Mar-

---

[1] „Infimum genus magistratuum" cfr. Dio 55, 8 *καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ ἀρχικῇ . . . . ἐν αὐτοῖς τοῖς χωρίοις, ὧν ἂν ἄρχωσι.* De magistris collegiorum nuper similiter iudicavit Liebenam l. l. p. 205 sqq.

[2] p 23.

quardtius[1] docuerunt, ratione paullatim in municipiis factum esse quin statuamus, facere non possumus, cum consilium alterius ordinis efficiendi primitus fuisse negemus. Honores enim atque emolumenta, quibus alterius ordinis socii utebantur, etiamsi sacerdotalia munera eos in annuo honore curasse putamus, facile explicantur. In re publica autem gerenda Augustalibus nullum ius concessum esse inter omnes constat, nisi quod Mommsenus e titulo Curibus Sabinorum reperto (IX 4970), quem supra transcripsi, nimis multa de sevirum Augustalium condicione collegit, cum ita libertinis decernere et quid vellent, legitime proferre licuisse statueret. Nam cum is titulus posterioris aetatis sit (a. p. Chr. 173), Augustum ordinem libertinorum („*Libertinenvertretung*") instituere voluisse inde nequaquam colligendum est; facillime enim fieri potuit, ut tempore progrediente Augustales in municipiis magis usu quam lege[2] aliquam auctoritatem adipiscerentur, quam iis tribuere ii, qui eos instituerunt, in animo non habuerant. Ceterum ne illud quidem ex eo titulo apparere ac quomodo eius verba recte explicentur, infra, postquam de iuribus privatis corporis Augustalium disseruero, exponam.

Honoribus igitur, qui seviris in annuo honore gerendo conveniebant, ultra legitimum tempus propagatis conspicui Augustales a reliqua plebe secernebantur et propter similitudinem ordinis decurionum alter ordo in municipiis et apparebant et appellabantur. Neque mirum est eos, qui divisiones semel faciendas seu perpetuas instituerent, ut decuriones ita Augustales, qui item honore publico suscepto seu munificentia de re publica bene meriti erant, magis honorandos esse quam reliquam plebem putavisse; praesertim cum alia quoque corpora, quibus publica munera iniuncta fuerint, reliquae plebi praeferri plusque iis tribui videamus.

Ita iam Tiberius magistris vicorum plus tribuisse videtur in testameuto suo[3] neque diversa ratio subest, si et Augustales et similes ordines seu collegia non privata

---

[1] *Staatsverw.* I 202 sqq.
[2] Cfr. Schiller *Gesch. der röm. Kaiserzeit* I 1, p. 402.
[3] Cfr. Sueton Tib. c. 76.

in divisionibus publicis insigniorem locum quam plebs obtinent. Ita in titulo Spoletino, quem supra laudavi, iuxta Augustales magistri vicorum et Larum Augustorum commemorantur similiterque in titulis IX. 23. 2253 Martiales et Merculiales inter ordines populi enumerantur.[1]

Quibus titulis hoc commune est, quod ii qui legaverunt, non honorati aut socii istorum collegiorum erant collegiaque ibi commemorata non privata erant, sed publica munera gerebant.

Ac quod superat numerus titulorum, in quibus Augustales soli inter decuriones et plebem enumerantur, inde colligi potest, quantopere Augustales quibusdam in regionibus cetera eiusmodi corpora superarint, ut fortasse, maxime posterioribus temporibus, praeter eos vix ulla collegia seu ordines similes in municipiis essent. Quare inde quod in divisionibus Augustales tam saepe inter decuriones plebemque enumerantur, colligendum non est eos ad repraesentandum secundum ordinem, qualis Romae erat ordo equester, institutos esse, sed quia ii, qui legabant, eos, qui muneribus publicis fungerentur seu functi essent, in quibus praeter decuriones Augustales maxime enitebant, magis honorari volebant quam plebem, eos tam saepe ibi commemoratos invenimus.[2]

Postremo venio ad rem difficillimam; nam cum ordo equester cum ordine Augustalium conferretur, utrumque non proprie, sed quasi corpus fecisse apparebat, et ea quoque res ad probandam similitudinem seu imitationem in medium prolata est. Quam rem cum hoc loco tractaturus res quasdam ad universa collegia corporaque Romana spectantes silentio praeterire non possim, primum moneam admodum exiguam

---

[1] Pariter forenses inter ordines populi enumerantur in titulo eph. ep. VII 720, ad quem adnotat Schmidtius: „Notabile est libertos Caesaris itemque forenses inter decuriones atque curias Augustalesque tanquam ordines quosdam commemorari; quod tamen nihil habet admirationis, cum Theveste primariam quandam sedem fuisse administrationis procuratoriae etiam aliunde constat; cfr. supra p. 36.

[2] Cfr. Mommsenum St. III 457 adn. 2: ... *wo die Gemeinde als solche repräsentiert wird, kommen die Collegien nicht in Betracht, wohl aber die Augustalen.*

et incertam earum rerum memoriam esse. Cuius rei causa in eo inest, quod qui codicem Iustinianum redegerunt, res, quales erant posteriore aetate, cum rebus priorum temporum confuderunt aut locos e iuris consultorum libris petitos ita mutarunt, ut rebus aetatis suae adaptati viderentur.[1]

Ac cum ex collectione inscriptionum Latinarum priores multum redundaturum putarent ad iura privata corporatorum Romanorum illustranda[2], iam ne ex hoc quidem fonte multa hauriri posse videmus; nam praeter usitatas formulas „quibus ex s. c. coire licet" vel „quorum corpus confirmatum est" nullus, quod videam, titulus inventus est, qui adhiberi possit ad explicandum titulum illum V 4428: „. . . . VI viri Aug. socii, quibus ex permissu divi Pii arcam habere permissum". Quibus verbis cum antea Mommsenus[3] et Marquardtius[4] idem significari iudicaverint, atque formulis modo laudatis, nisi quod corpus illud a principe confirmatum sit, iam Mommsenus ipse[5] subdubitare videtur, num vera sit ea opinio, quamquam ipse ad eum titulum explicandum nihil amplius affert. Qui tamen cum ad illustrandam sevirum Augustalium condicionem non parvi momenti sit, eum quoque hoc loco disserens de eo, quod seviri Augustales similiter atque equites Romani non proprie corpus effecerunt, quoad fieri poterit, explicare conabor.

Aetate imperatoria quodcunque collegium seu corpus coire vellet, ei permissu senatus seu auctoritate Caesaris opus fuisse inter omnes constat; quam legem non valuisse de collegiis cultum alicuius dei prae se ferentibus Pernicius[6] et Cohnius (p. 115) recte sibi colligere videbantur ex hoc Digestorum loco 47, 22, 1: „Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia

---

[1] Cfr. Cohn *Zum roemischen Vereinsrecht* p. 176 sqq. Krueger *Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechtes* 1888 p. 331.

[2] Cohn p. 3.

[3] de coll. p. 80

[4] *Staatsverw.* III 140 adn. 4.

[5] *St.* II² 851 adn. 2.

[6] M. Antistius Labeo I p. 302.

sodalicia ..... sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant; § 1. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia coercentur.“ Quam interpretationem ferri non posse, sed istis verbis significari conventus religionis causa institutos coërcendos non esse omnes fere, qui post eos de his rebus scripserunt, consentiunt. Cfr. Mommseni adnotationem in editione Digestorum et Maué: „Ueber den praefectus fabrum“ p. 35 adn. 3. Simul autem ex hoc loco elucet non conventus, qui religionis causa fierent, sed alios conventus, in quibus deliberaretur, periculosos itaque lege coercendos visos esse. Praeter conventus etiam periculum in eo inesse videbatur, quod pecunia in arcam communem inlata facile in malos usus erogari poterat, id quod recte me colligere puto ex loco epistulae Traiani ad Plinium missae Plin. epp. ad Tr. 93; „Amisenos, quorum libellum epistulae tuae iunxeras, si legibus istorum, quibus de officio foederis utuntur, concessum est eranum habere, possumus quominus habeant non impedire, eo facilius si tali conlatione non ad turbas et ad inlicitos coetus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam utuntur.“ Quae sententia confirmatur eo, quod ad arcam communem instituendam sola fere tenuiorum collegia fieri permittebatur et collegiis corporibusque, postquam cetera personae iura adepta sunt, ius legata seu hereditates accipiendi denegabatur. His potissimum de causis collegia coercenda esse videbantur. Quae vero postea iura propria fuerint corporibus, quibus ex senatus consulto vel auctoritate Caesaris coire liceret, apparet ex hoc Gaii loco Dig. III 4, 1: „Neque societas neque collegium neque huiusmodi corpus passim omnibus habere conceditur; .... paucis admodum in causis concessa sunt huiusmodi corpora .... § 1. Quibus autem permissum est corpus habere collegii, societatis sive cuiusquam alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum rei publicae habere res communes, arcam communem et actorem sive syndicum, per quem tanquam in re publica quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat.“ Quas res ut ordini equestri nunquam concessas videmus, ita equi-

tes Romani, qui nusquam ita inter se coniungi possent ut e. g. ii, qui in eodem municipio erant, nusquam, ut tale quicquam sibi concederetur, petivisse videntur, quia non opus iis videbatur eiusmodi iura habere et paene absurdum collegium constituere ex iis, qui ne omnes quidem Romae essent. Qua re cur equites Romani non proprie, sed quasi corpus effecerint, ex condicione eorum publica satis explicatur. Iam si transimus ad seviros Augustales, primum moneam veri simile non esse collegia publice ad cultum quendam curandum instituta petivisse, ut sibi ius associationis concederetur. E. g. ut Suetonius (Dom. c. 4) narrat, Domitianus collegio cuidam cultum Minervae mandavit: „Celebrabat et in Albano quotannis Quinquatria Minervae, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur ederentque eximias venationes et scaenicos ludos“, quod collegium cum non privatum, sed publice institutum esset, a senatu petivisse, ut sibi corpus habere liceret, non existimo, ut Cohnius quoque sola collegia privata iure associationis indiguisse statuit (p. 2). Contra neque id collegium de quo Suetonius narrat, neque Augustales similiaque arcam et res communes habuisse persuasum habeo; nam quia senatum non adibant, ut sibi corpus habere liceret, ea non habuisse iura consentaneum est, quae Gaius corporibus publice concessis popria fuisse dicit. (cfr. VI Aug. quibus arcam habere permissum est). Neque opus erat eiusmodi collegia, si ea cum aliis ut funeraticiis comparamus, arcam similiaque habere, si quidem sumptus, qui e sacris faciundis oriebatur, magistris sive ut apud Augustales seviris ferendus erat, nisi pecunia publica in ea sacra erogabatur. Quam ob rem neque in Augustalium neque in similium ordinum titulis usitatam formulam: *„quibus ex s. c. coire licet“* invenimus. Ac cum Mercuriales similesque nusquam, raro Augustales se corpus vel collegium effecisse significent, neutros inde ab initio talia collegia qualia e. g. funeraticia fuerunt, effecisse aut iura, quae corpora publice concessa obtinuisse supra vidimus, usquam inde ab initio habuisse veri simile est. Quare cum Mercuriales quoque similesque ordines cultui alicuius dei, ut supra probavimus,

sacrati non proprie, sed quasi corpus effecerint eamque rem ex natura eorum ordinum — sollemniter enim eos collegia appellari non licet — explicaverimus, ex hac simili condicione ordinis equestris et ordinis Augustalium ad probandam universam similitudinem seu imitationem nihil colligendum est.

Priusquam autem titulum VI virorum sociorum, qui Brixiae erant, V 4428 explicem, de iuribus privatis collegiorum Romanorum pauca antea dicam, quia Maué, qui recentissime de iis rebus egit, in ea re mihi errase videtur. Etenim profectus ab illo loco Digestorum (34, 5, 20), quo Marcus collegiis ius legata accipiendi tribuisse traditur, is ius personae ab eodem imperatore concessum esse collegit [1], cum priores ut Mommsenus, Pernicius, Cohnius certe Gaii aetate una cum iure associationis ius personae concessum esse statuerent. Et recte quidem hi. Nam habemus disertum Gaii testimonium, e quo collegiis publice concessis una cum associationis iure iura quoque quaedam privata data esse eluceat. Praeter hunc Gaii locum ex aliis Digestorum locis idem efficitur, quos ad eam rem diudicandam adhibitos esse non video. Cfr. Dig. 40, 3, frg. 1. (Ulpianus): „Divus Marcus omnibus collegiis quibus coeundi ius est manumittendi potestatem dedit.“ Dig. 34, 5, 20 (Paulus): „Quum senatus temporibus Divi Marci permiserit collegiis legari, nulla dubitatio est, quod si corpori cui licet coire legatum sit debeatur, cui autem non licet, si legetur non valebit, nisi singulis legetur. hi enim non quasi collegium sed quasi certi homines admittentur ad legatum.“ Dig. 50, 6, 5 § 12 (Callistratus) „Quibusdam collegiis vel corporibus, quibus ius coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur, scilicet iis collegiis vel corporibus . . . . .“ His locis, quibus de iuribus privatis collegiorum agitur, cum formulae usurpentur, quae ad ius associationis spectant, iuris consultos iis usuros non fuisse puto, nisi cum iure associationis iura quaedam privata arte coniuncta fuissent. Ac facile intellegitur, quomodo hoc factum sit. Neque enim esse poterant collegia, qualia

[1] p. 41.

tes Romani, qui nusquam ita inter se coniungi possent ut e. g. ii, qui in eodem municipio erant, nusquam, ut tale quicquam sibi concederetur, petivisse videntur, quia non opus iis videbatur eiusmodi iura habere et paene absurdum collegium constituere ex iis, qui ne omnes quidem Romae essent. Qua re cur equites Romani non proprie, sed quasi corpus effecerint, ex condicione eorum publica satis explicatur. Iam si transimus ad seviros Augustales, primum moneam veri simile non esse collegia publice ad cultum quendam curandum instituta petivisse, ut sibi ius associationis concederetur. E. g. ut Suetonius (Dom. c. 4) narrat, Domitianus collegio cuidam cultum Minervae mandavit: „Celebrabat et in Albano quotannis Quinquatria Minervae, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur ederentque eximias venationes et scaenicos ludos“, quod collegium cum non privatum, sed publice institutum esset, a senatu petivisse, ut sibi corpus habere liceret, non existimo, ut Cohnius quoque sola collegia privata iure associationis indiguisse statuit (p. 2). Contra neque id collegium de quo Suetonius narrat, neque Augustales similiaque arcam et res communes habuisse persuasum habeo; nam quia senatum non adibant, ut sibi corpus habere liceret, ea non habuisse iura consentaneum est, quae Gaius corporibus publice concessis popria fuisse dicit. (cfr. VI Aug. quibus arcam habere permissum est). Neque opus erat eiusmodi collegia, si ea cum aliis ut funeraticiis comparamus, arcam similiaque habere, si quidem sumptus, qui e sacris faciundis oriebatur, magistris sive ut apud Augustales seviris ferendus erat, nisi pecunia publica in ea sacra erogabatur. Quam ob rem neque in Augustalium neque in similium ordinum titulis usitatam formulam: *„quibus ex s. c. coire licet“* invenimus. Ac cum Mercuriales similesque nusquam, raro Augustales se corpus vel collegium effecisse significent, neutros inde ab initio talia collegia qualia e. g. funeraticia fuerunt, effecisse aut iura, quae corpora publice concessa obtinuisse supra vidimus, usquam inde ab initio habuisse veri simile est. Quare cum Mercuriales quoque similesque ordines cultui alicuius dei, ut supra probavimus,

sacrati non proprie, sed quasi corpus effecerint eamque rem ex natura eorum ordinum — sollemniter enim eos collegia appellari non licet — explicaverimus, ex hac simili condicione ordinis equestris et ordinis Augustalium ad probandam universam similitudinem seu imitationem nihil colligendum est.

Priusquam autem titulum VI virorum sociorum, qui Brixiae erant, V 4428 explicem, de iuribus privatis collegiorum Romanorum pauca antea dicam, quia Maué, qui recentissime de iis rebus egit, in ea re mihi errase videtur. Etenim profectus ab illo loco Digestorum (34, 5, 20), quo Marcus collegiis ius legata accipiendi tribuisse traditur, is ius personae ab eodem imperatore concessum esse collegit [1], cum priores ut Mommsenus, Pernicius, Cohnius certe Gaii aetate una cum iure associationis ius personae concessum esse statuerent. Et recte quidem hi. Nam habemus disertum Gaii testimonium, e quo collegiis publice concessis una cum associationis iure iura quoque quaedam privata data esse eluceat. Praeter hunc Gaii locum ex aliis Digestorum locis idem efficitur, quos ad eam rem diudicandam adhibitos esse non video. Cfr. Dig. 40, 3, frg. 1. (Ulpianus): „Divus Marcus omnibus collegiis quibus coeundi ius est manumittendi potestatem dedit." Dig. 34, 5, 20 (Paulus): „Quum senatus temporibus Divi Marci permiserit collegiis legari, nulla dubitatio est, quod si corpori cui licet coire legatum sit debeatur, cui autem non licet, si legetur non valebit, nisi singulis legetur. hi enim non quasi collegium sed quasi certi homines admittentur ad legatum." Dig. 50, 6, 5 § 12 (Callistratus) „Quibusdam collegiis vel corporibus, quibus ius coeundi lege permissum est, immunitas tribuitur, scilicet iis collegiis vel corporibus . . . . ." His locis, quibus de iuribus privatis collegiorum agitur, cum formulae usurpentur, quae ad ius associationis spectant, iuris consultos iis usuros non fuisse puto, nisi cum iure associationis iura quaedam privata arte coniuncta fuissent. Ac facile intellegitur, quomodo hoc factum sit. Neque enim esse poterant collegia, qualia

---

[1] p. 41.

Romae pleraque fuisse cognovimus ut collegia funeraticia seu collegia ad columbaria facienda instituta, nisi praeter ius associationis iura quoque privata, quae Gaius indicat, ut ius arcae communis habendae obtinebant. Ac cum eos, qui in collegium coire vellent, ut sibi corpus habere liceret, senatum adire opus fuerit eosque una legem collegii, quod instituturi erant, senatui subiecisse veri simile sit, una cum iure associationis iis arcam quoque seu res communes habere permissum esse consentaneum est, ut in iudiciis quoque nisi lege collegii sui a senatu comprobata arcam seu res communes sibi vindicare non possent. Ita usu factum esse puto, ut una cum iure associationis iura quaedam privata collegiis concederentur. Ea autem collegia, quae, ut supra exposui, ut sibi coire liceret, senatum adire non oporteret, si iura privata collegiis propria obtinere volebant, ut illa sibi concederentur, a senatu vel principe petivisse puto eiusque rei mea quidem sententia exemplum exhibet titulus ille sevirum Augustalium sociorum, quibus a Divo Pio arcam habere permissum erat. Quod si factum est, Augustales iura collegiis propria adquirebant ac plerumque se corpus vel collegium appellant. Sed interdum etiamsi ordo appellantur, iura illa collegiis propria obtinuisse videntur; nam illi quaestores, curatores, quinquennales ordinis Augustalium non intelleguntur quid sibi velint, nisi Augustalibus iis locis, quibus commemorantur, arcam et res communes habere licebat. Ceterum iam ante Antoninum Pium quorundam municipiorum Augustalibus illa iura concessa esse mirum non est, ut e. g. Puteolis iam anno 56 p. Ch. (X 1574) curatores Augustalium commemorantur. Ius autem legata accipiendi ut ceteris collegiis ita Augustalibus quoque non ante Marci aetatem concessam esse consentaneum est; itaque testamento Petelini illius, quod supra transcripsi, possessiones et pecuniam usui Augustalium destinatas rei publicae Petelinorum legatas esse videmus, quamquam Augustales Peteliae diserte nomine corporis Augustalium in illo testamento significantur. Post Marci autem aetatem Augustales quoque, qui quidem corporatorum iura adepti essent, legata accipere potuisse nemo negabit.

Hoc cum statuerimus, recte etiam titulum illum Curibus Sabinorum repertum, e quo quam condicionem Augustales in municipiis obtinuerint, Mommsenus maxime apparere dicit, explicare posse nobis videmur. Nam et in hoc titulo et in similibus nihil agitur nisi de pecunia eroganda in statuas hominibus de re publica optime meritis ponendas; eiusmodi autem decreta Augustalium si quae commemorantur, aequiperanda esse puto ceterorum collegiorum decretis ut e. g. in Gallia Narbonensi, ubi seviri Augustales nisi corporati non apparent, decretorum a seviris Augustalibus factorum mentio fit XII 4354. 4388. 4397. 4406. A plebe igitur seviri Augustales ibi commemorati eo differebant quod ii, quippe qui arcam haberent et corpus efficerent, in conventu de pecunia in eius modi statuas eroganda similiter atque decuriones deliberare et decernere poterant, cum plebs neque arcam neque conventum haberet, in quo coniuncta et corpus efficiens quicquam decernere posset. Praeter pecuniam autem in statuas erogandam Augustales de aliis quoque rebus ad administrandam rem publicam pertinentibus decrevisse et eiusmodi decretis decurionibus quid vellent seu postularent, aperuisse ut non traditum ita ne verisimile quidem est. Haec fere habui, quae de condicione sevirum Augustalium dicerem.

Mommseni igitur sententiam de seviris Augustalibus recens propositam, licet in singulis rebus erraverim, obtineri non posse maxime ratione habita munerum sevirum Augustalium probasse mihi videor. Quod si in hac dissertatiuncula nonnullas res maximeque eas, quae ad condicionem sevirum Augustalium illustrandam pertinent, aut brevius, quam aequum erat, perstrinxi aut omnino silentio praetermisi, tamen me res gravissimas huc spectantes non neglexisse spero.

APPENDIX.

Cum iam Henzenus (Z. f. A. 1848 p. 307) ordinem Augustalium comparasset cum collegiis item ordinis nomine appellatis, mihi quoque idem quondam in mentem venit,

sed mox intellegebam multum interesse inter istos ordines et ordinem Augustalium, quem si cum ullo, propter similem condicionem cum ordine equestri solo conferre licet. Quam ob rem videamus, qui ordines praeter senatores et equites Romae, in municipiis praeter decuriones et Augustales appellentur. Ac primum quidem Marquardtius[1] eumque secutus Jungius (p. 146: *Der ordo sacerdotalium wird in afrikanischen Landschaften besonders häufig erwähnt*) ordinem sacerdotalium in Africa commemorari dicunt nisi praeter titulos (Marq. St. I 506 adn. 3) maxime Gothofredi paratitlo ad cod. Theod. XVI 10 et hoc Ammiani loco: (XXVIII 6) „occisis decurionibus multis, inter quos Rusticianus sacerdotalis et Nicasius enitebat aedilis.“ Sed neque hoc loco neque in Gothofredi paratitlo neque in titulis ordinem sacerdotalium commemoratum inveni, sed ibi sacerdotalium tantum mentio fit, qui in ordine decurionum insigniorem obtinebant locum. Alia exempla ordinum in titulis appellatorum collegit Mommsenus St. III 459 adn. 1, qui tamen omisit legem collegii Aesculapii et Hygiae (VI 10234), cuius socii item ordinis nomine significantur. Ac cum Mommsenus St. I³ 339 id vocabulum idem significare statuisset atque nostrum „*Stand*“, aliis locis id respondere nostro „*Koerperschaft*“ iudicavit[2]. Atque eos, qui ita appellantur, non ordines publicos ut senatores seu equites effecisse itaque non ita ut illos ordines vocari potuisse inter omnes constat. Itaque ea collegia velut collegium illud funeraticium Aesculapio et Hygiae sacratum, ne voluisse quidem puto in titulis, in quibus sollemnia nomina usurpari soleant, se ordinem publicum appellari, sed aliam notionem vocabulo ordinis iis locis usurpato subesse. Restat igitur, ut animo consideremus, num vocabulum ordinis idem atque „collegium, corpus“ significare possit. Sed ne haec quidem interpretatio placet. Nam ut nusquam dictum invenimus: „corpus collegii, collegium corporatorum“ similiaque, ita si vocabulum ordinis nihil significabat nisi nostrum: „*Koerper-*

[1] *St.* I 506 adn. 3 et eph. I p. 212: qui expleto sacerdotio in ordinem sacerdotalium recipiebatur.

[2] I³ 342 adn. 4. III 459 adn. 1.

schaft", nusquam dici potuisse existimo: „*ordo collegii, ordo corporatorum*", quae tamen verba ita coniuncta invenimus. Quam difficultatem priusquam tollere coner, primum moneam vocem ordinis „numero" saepe ita oppositam inveniri, ut idem fere significare videatur: Quintil. 1, 4, 3: „Grammatici auctores alios in ordinem redegerunt, alios omnino exemerunt numero." Id. 10, 1: „Apollonius in ordinem a Grammaticis datum non venit, quia poetarum iudices neminem sui temporis in numerum redegerunt." (cfr. Forcellinium s. v. ordo: in ordinem redigere" est „in numerum referre"). Neque dissimilis videtur locus ille Plinii, e quo Mommsenus iudices quoque ordinem publicum velut equites effecisse collegit (St. III 459 adn. 1) h. n. 33, 8: „Praeter hos etiam nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis. Et divisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominum, cum alius se nongentum, alius selectum, alius tribunum appellaret." Ac nescio an ita explicandi sint tituli, in quibus ordo haruspicum commemoratur, praesertim cum interdum certi numeri eorum mentionem fieri videam: VI 2126: ex ordine haruspic. LX, VI 2163: haruspici de LX. Deinde respiciendam esse puto in ea re diudicanda legem collegii Aesculapii et Hygiae, in qua nequaquam omnibus locis ordo collegii appellatur, ut dictum invenimus: lex collegii Aesculapii et Hygiae", cum alio loco eiusdem legis hoc invenias „quos *ordo collegii* nostri decrevit." Cuius rei ratione habita tres locos eius legis, in quibus de eadem re sermo est, inter se conferendos esse puto: I „ex decreto universorum, quod gestum est in templo Divorum in aede Titi in conventu pleno" II. „quos ordo collegii nostri decrevit" III „Hoc decretum ordini nostro placuit in conventu pleno, quod gestum est in templo Divorum in aede Titi." Quibus locis cum de eadem re agatur, locum illum primum ad reliquos explicandos recte adhiberi puto ex eoque colligo vocabulum ordinis ita usurpatum significare cunctos socios illius collegii.[1] Quam ob rem id maxime usurpatum

[1] Idem fere de usu vocabuli ordinis statuit Liebenam l. l. p. 193



invenimus in titulis, in quibus socii alicuius collegii seu corporis se aliquid decrevisse seu dedicavisse praedicent (VI 1872: ex decreto ordinis corporis piscatorum et urinatorum totius alvei Tiber.), aut in iis, in quibus alba collegiorum perscripta sint. XIV 246. 250—52. (Ostia). XIV 2408 (Bovillae). Atque quod in titulo Ostiensi XIV 341 corpus lenunculariorum tabulariorum auxiliariorum nude dicitur, contra in titulo XIV 250, in quo album illius corporis exhibetur, ordo corporator. tabularior. auxiliares. Ostiens. appellatur, itemque in titulo illo Bovillensi XIV 2408 eo loco, ubi album exhibetur, ordo adlectorum dictus est, cum antea alio loco eiusdem tituli adlecti scaenici nude appellati essent, id casui non tribuendum esse putavi, sed in iis titulis „*ordinem*" significare catalogum, album vel tale quid collegi. Quae sententia confirmatur eo, quod interdum aliis in titulis, in quibus alba exhibentur, certo aliquo verbo in sequentibus album perscriptum esse indicari inveni: VIII 243 albus ordinis col. Thamug. VIII 2714: curiae Sabinae iuniores, quorum nomina infra s(cripta) s(unt). XIV 326: nomina eorum. Praeterea conferas locum illum Quintiliani 10, 1, quo vocabulo ordinis similem notionem subesse vidimus, ut Forcellinius eum vertit: *non fu posto nella lista de' poeti.* — Praeter senatores et equites iudices quoque ordinem publicum effecisse itaque appellatos esse facile ex loco Ciceronis (in Pison. 39, 44: nulli concientur in illum ordinem, nulli examinentur) suspiceris Mommsenum secutus, qui quod in albo perscripti essent, iudices ita appellatos esse iudicat. (St. III 459 adn. 1). Sed cum iidem numerus appellantur alio Ciceronis loco[1] Ciceronemque et alios auctores voce ordinis abusive ad aliquod genus hominum significandum usos esse videamus,[2] ne iudices quidem unquam sollemniter ordinem appellatos esse existimo.

adn. 5, cuius liber mihi post confectam hanc dissertatiunculam in manus venit.

[1] in Verr. 2, 32, 79: hunc hominem in iudicum numero habebimus.
[2] Cfr. e. g. Cic. in Verr. III, 78, 182 - 184.

